DE RELIGIONIS CHRISTIANAE IN GYMNASIIS EVANGELICIS INSTITUTIONE MODERANDA.

PROLUSIO,

QUA EXAMEN PUBLICUM

D. IV. OCTOBR. MDCCCXXIV.

RITE HABENDUM

INDICIT

THEODORUS FRIDERICUS KNIEWEL,

PH. DR., AA. LL. MAG., GYMNAS. GED. PROFESSOR, SOC. LING. TEUTON. BEROL. SODAL. HON.

GEDANI, 1824

TYPIS WEDELIANIS.

Ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ, ὁ Χριστός.

S. Paull. ad Ephes. 4, 15.

MAXIMAE optimorum querelae ubique nunc quidem audiuntur et in dies augentur de hominum quum omnium tum vero iuvenum puerorumque pravitate et vitiis, quae meliori illi, de qua gloriemur, instituendi docendique arti ac tantis talibusque, quas iuvenes iactent, rerum cognitionibus, quam maxime sint absona. Cuius rei causam optimus quisque in *religione neglecta* quaerens, in scholarum magistros invehitur, qui sancto munere suo male functi discipulorum animos religione non satis imbuant. Rei quidem nomen Gymnasiorum lectionibus additum esse, ipsam vero cum contemtu inutilissimis vulgo adnumerari, quum aut *doceri non posse* religionem plurimi magistri existiment, aut rationem mentemque humanam bene formatam rerumque cognitionibus satis instructam facile religione publicâ supersedere posse sibi persuasum habeant. Minime igitur ita constitutam esse hanc doctrinam, ut vel scholae vel vitae civili ullum commodum inde affluere possit. Imo, quum res ipsa summi momenti sit in universa hominum vita tam privata quam publica, maxima damna ex ea in scholis pessime instructâ atque adhibitâ in hominum societatem prorumpere. Jam proferunt sanctissima hominum vincula dissoluta, matrimonia foedata, adulteria, divortia, fiduciam civium inter se debilitatam et prorsus fere nullam, iam dolos illos malignos et fallacias, quibus pro summâ ingenii virtute et sagacitate habitis operam sedulo navent senesque puerique; nec non luxuriei omniumque voluptatum atque libidinum intemperiem, quâ vel puerulos foedissime infectos videamus: iam horrenda illa puerorum consilia, incendia caedesque, contumaciam, ferocitatem, licentiam, parentum magistrorumque contemtum, arrogantiam, ambitionem, speciei alienaeque gloriae cupidinem, qua ad mendacia dolosque seducantur, iam studium illud novarum rerum, quo adolescentuli, fiduciâ ingenii et virtutis suae freti, ardeant. Jam ex altera parte ostendunt mysticas illas hebetum ingeniorum superstitiones et vesanias, quibus Jesuitae redivivi incredibiliter gaudeant, iam curiae romanae*) claves Petrinas et verba artesque, quibus errantes *oves* ad sanctum scilicet gregem optimi pastoris romani et ad aeternam salutem allicere astute studeat. —

Tau-

*) Ne quis me infesto animo in universam, quam vulgo dicimus, catholicam ecclesiam saevire putet, semel dicam, me, qui nihil magis desiderem, quam Jesu Christi ecclesiam vere catholicam, satis scire, quantam pii quique et probi illius ecclesiae homines distent a Sacerdotii Romani servis, itaque nullibi ea voce me uti in hoc scripto, ubi de transalpina ista superstitiosa religione et insolenti arrogantia sermo fiet.

Tantorum malorum fontes ut obturentur, religionis sanctitate tantum effici posse: hanc esse arripiendam constanterque in iuvenum animis confirmandam, evangelii et verae religionis arma induenda cavendumque pro virili, ne aut ad romanae ecclesiae*) servilem concordiam segnes protrahamur, aut ex humanâ aliquâ lege principisve edicto fidem nostram externâ quâdam specie exornare et iuvenibus puerisque tradere inviti cogamur.

Quae fere verba undique repetita, quantumvis vera, demonstrant quidem vulnus, medicinam non afferunt. Quum vero magistrorum et gymnasiorum maxime interesse videatur, haec plurimorum et optimorum virorum gravissima in nos postulata accuratius disquirere et videre, num illis qualicunque modo satisfacere possimus, hoc mihi nunc sumam, ut re, quae desideretur, plenius accuratiusque explicata, difficultates quibus ea res in scholis laboret evolvam, tum consilia quaedam addam, quibus rei subveniri posse equidem arbitrer.

Sed antequam rem aggrediar, lectores memores esse velim, me, ut in prolusione, summam rerum quasi digito tantum attingere posse, uberiora reservans libro germanice scripto, mox in publicum edendo. Tum moneo, me in his scribendis gymnasia tantum eaque evangelica patriae nostrae ante oculos habuisse.

CAPUT I.

REI DESIDERATAE CONSTITUTIO.

---

§. 1.

Quid sit, quod a magistris doceri velint docti pariter atque indocti.

Nos igitur magistros discipulorum animos religione probe imbuere et posse et debere omnium est sententia. En duo verba, quae ubique his temporibus in Germania omnes venditant, *religio* et *animus* (Gemüth), quae, ne inani conatu aerem feriamus, ante omnia sunt accuratius definienda. Quamobrem primum quaeramus, quae sit illa religio, quam omnes a nobis docendam flagitant, quae via et ratio, quae denique forma in docendo sequenda? — Jam in plures partes disiunguntur clamitantes, quarum *prima* religionem universalem s. naturalem doceri vult, quam alii aliter definiunt prout vel *Kantii* definitio

(Relig.

(Relig. innerh. d. Grenzen d. bl. Vern. pag. 229.) vel *Fichtii* (Fichte u. Niethhammer phil. Journ. 1798. H. 1.) vel aliorum iis probatur, quam omnino sic illorum fere verbis exprimamus: religio est doctrina de Deo eiusque attributis et de ratione quae interest inter Deum et homines, unde officia, tanquam praecepta divina derivantur, ut ordo modusque ethicus, qui mundum contineat, animo percipiatur. Sic paritur vera et certa humanitatis atque officiorum cognitio in omnibus vitae rationibus et conditionibus, quâ cognitione a maioribus neglectâ evenit, ut, dum ficta et miracula atque inania sacerdotum et magistrorum subdola auctoritas pro veris certisque traderet, olim ab omnis generis superstitione misere teneretur genus humanum, nunc vero, mentis eruditione et cognitione variis modis apud omnes auctâ, nisi prudenti consilio vera divinaque docueris, idem genus ad insolentiam et arbitrium licentiamque necessario seducatur. Tres igitur illae notiones communes et quasi innatae: Deus, libertas, immortalitas, (quibus fere aequales sunt Paulli Apostoli fides (πίστις), caritas, spes, [1. Corinth. 13, 13.],) quas, quum *ratio practica* postulet, *ratio pura**), etsi nullis argumentis rationibusque satis firmari possunt, agnoscere cogitur, discipulis semper ante oculos teneas. Haec est religionis summa, quae ubi omni studio atque consilio et docetur et agendo vitaeque usu confirmatur pulcerrimos non proferre fructus non potest: est enim ea, quae animum humanum ad rectum per se agendum continuo incitare et ab omni errore omnique flagitio deterrere unice valeat. — Sed quum illa religionis forma externa, quae quidem inter nos diuturno seculorum usu paene omnia occupaverit, et propter usum historicum ignorari non debeat, et in rerum publicarum institutis vim suam etiamnum habeat, quum praeterea eius religionis auctor optimum virtutis exemplum praebeat et praecepta vel eius ipsius vel discipulorum ad confirmandam virtutem et probandam saluberrima sint, quum denique biblia sacra, ut nunc se res habet, universum quendam omnium Christianorum quasi thesaurum vitae et virtutis amplectantur, necesse est, ut vita Jesu et Apostolorum (cui in superioribus classibus addatur historia et vicissitudines ecclesiae Christianae) narretur lectisque praecipuis bibliorum Ss. capitibus et bene explicatis, ritus et doctrinae propriae religionis Christianae pueris sedulo tradantur.

Haec prima factio duces suos habet philosophos, quorum quasi signifer scholasticus est cel. *Bernhardi* in libello philosophica quadam arte elaborato: **Ansichten über die Organisation der gelehrten Schulen**, ubi cf. pag. 5, 29, 131 seq. et passim.

Respuit haec pertinaciter, ut parum firma nihilque certi et divini habentia, *factio altera*, dictitans, quod illi iactent de natura et de conscientia recti, quas duas res fontes

*) Ne quis mihi derideat has voces parum latinas. Delicati sunt et falsi, qui magis latinitatem quam sensum observantes, talia latine circumscribunt.

et principia omnis cognitionis de Deo et de praeceptis ethicis ponant, eas pro diversa singulorum hominum facultate et indole diversissimas esse et mobiles, nihilque inde gigni posse, nisi sensum quendam incertum et ambiguum de Deo, omni forma omnique vi carentem, qui, ut aliquam certi similitudinem prae se ferat, demonstratione et doctrina sit confirmandus. Atqui hominum cognitionem et fidem, si vere oriatur ea demonstratione, sequi auctoritatem humanam, magistri scilicet, ergo esse fragilem et caducam. Sic igitur latissimum campum aperiri dubitationi, ambiguitati, inconstantiae hominum in rebus divinis, quae, ne cum summo humani generis periculo perdantur, divinum sibi praesidium pro infirmissimo isto philosophico parent necesse sit. Hanc enim esse omnium miseriarum causam, quod religio christiana revelata et ab omnibus sancita (positiva) publice abiecta sit, quam omni modo scholis reddendam esse et unice docendam clamitant, sequendamque viam maiorum nostrorum, qui evangelicae libertatis fortissimi defensores, tribus rebus, fide, doctrina, experientia, optimis ducibus rem satis bene constituerint, cuius rei testem esse invictum totam vitam et mores Christianorum superioris temporis. Praeterea id ipsum, quod illi philosophi velint, per hos 30 annos amplius indefesso doctorum studio actum esse, ergo iam usu et experientia confutatum. Jam si iidem dicant, actum quidem id esse, neque vero recto modo prudentique consilio, eo ipso apparere respondent, aut ipsos auctores non satis explicare potuisse modum, aut nondum id fecisse, aut difficiliorem esse illum modum, quam qui a plurimis magistris, non pari atque ipsi sapientia pollentibus, recte adhiberi possit. Quae omnia quanto consilium illorum imprudens parumque sufficiens atque inutile ostendant, tanto acrius ad alteram hanc viam tot seculorum usu et doctissimorum optimorumque hominum exemplo probatam fortiter sequendam urgeant.

Tenent has partes nonnulli theologorum nostrorum (vid. *Marheinecke* noviss. libell: **Lehrbuch des christl. Glaubens und Lebens zum Gebr. in den obern Cl. an den Gymnas. und für d. reifere Jug. überh. Berlin 1823**), philosophorum (inter quos *H. Steffens*, cuius vid. lib: **Von der falschen Theolog. und dem wahren Glauben. Bresl. 1822.**) denique tota fere Christianorum multitudo.

Inter summas illorum controversias surgit *pars tertia*, quae leniter subridens mussitat, nil opus esse tanto strepitu; rem facillime expediri, imo iam, modo se duces sequaris, expeditam esse, si medium teneas, religionem, quam ratio iubeat, cogitatione et philosophia confirmes, tum bibliorum Ss. dictis ad partes vocatis divinum signum imprimas, Jesum Christum tanquam summum sapientissimumque magistrum hominibus a Deo datum proponens, cuius verbis obediendum sit. Nonnulla Jesu dicta, quae nostrae cogitandi sentiendique rationi minus apta videantur ex veterum temporum more rudique conditione, cui

divini viri sapientia se accommodaverit, explices, miracula, inspirationem alia nude tradas addito: „*sic fertur*," ut quisque auditorum pro ingenio suo atque indole fidem vel praebere vel recusare possit. Prae caeteris iuvenum animis hoc inculces, theologiam theticam virorum doctorum commentis esse natam, neque per se biblicam; omnium summam versari circa haec duo: Θεὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνεῖν (Joa. 4. 24.), et πάντα δοκιμάζετε τὸ καλὸν κατέχετε. (1. Thess. 5, 21.)

Haec philosophorum Christianorum, vel ut se ipsos satis barbare nominare solent *rationalistarum* secta in plurimis, ne dicam omnibus, scholis certam sedem per hos 40 fere annos occupavit, praeeunte summo et multis nominibus celebrato viro *A. H. Niemeiero*, cuius compendium (Lehrbuch für d. obern Relig.-Classen gel. Sch.) cui addidit socium libellum (Anmerk. u. erläut. Zuss. zu d. Lehrb.) septimum editum, in omnium manibus est. At clamitant contra factionis secundae sectatores: quum per tot temporis defendere non potueritis, quin illa mala irrumperent, neque irrupta summovere valueritis, iam experientia edocti sumus, rem non ita facile ista vestra sapientia expediri. Quum praeterea illa quam praedicatis Jesu obedientia valde ambigua et arbitraria sit, quae scilicet a rationis vestrae consensu pendeat, nec non tota vestra via ab ambiguitate et dolo incipiat itaque omni veritate et religione carere videatur, vix ea esse potest, quam pius et vere sapiens sequatur. Caeterum ubi ambiguitatem istam et simulationem ex eâ removeris, minime differt a primâ illâ, quam satis notavimus.

Quid dicam denique de *quarta* factione illorum, qui nos magistros poscunt religionem communibus quibusdam notionibus, quas ideas vocant, in discipulorum animo excitare, ad rerum universitatem eorum mentem extollere, biblia sacra allegorice et symbolice explicare, omnia divina et humana, antiqua et recentia, omnes orientis et occidentis res, Indos Germanosque mirâ quâdam arte conglutinare: „Artifices estote et vos et ut fiant discipuli „curate! Idea! ingenium! animus! ars! τὸ καλόν!" en classicum novissimorum sapientum. „τὸ καλὸν κἀγαθόν, Ἔρως ὁ οὐράνιος, quem Plato, summus artifex, in convivio et Phaedro mirifice describit, animum ad virtutem impellit, summique illius populi Graecorum sapientiam et artem cum J. Christi amore et virtute aptissime coniungit. Hoc est eorum iuvenum, qui litteris dediti veterem eloquentiam in nostrâ adhibere et universum genium humanum cum singulari illo nativo et patrio prospere unire velint. Doctrina et artes sic iuvenum animis commendatae, per totam vitam eos sustinebunt. Hoc emollit mores nec sinit esse feros, haec vera religio est, quae ad praeclarissima facinora impellens, aeterna monumenta exigit.

Eadem

Eadem turba Evangelicorum templa signis et statuis variisque ornamentis decorari concentuque musico resonare iubet, quas res quum plurimi Evangelici abhorreant neque illis morem gerant, tanta bonis istis artificibus bilis saepe movetur, ut relictâ sterili et prosaicâ, ut dicunt, factione Evangelicâ, universalem suam religionem in ecclesiâ Romanâ invenisse glorientur. Sequitur hanc partem *Schellingii* secta cum multis illis, qui philosophiam pulcri (aestheticam) his fere 20. annis in formam artis redigere conantur et vitae poeticae et internae (des Gemüthslebens) quasi fulcra praedicantur, *Schlegelii* fratres, *Tiekius*, cum poetarum et artificum iuvenum turba, adiuncto haud parvo philologorum, historicorum, theologorum numero.

Ab his artificiosis philosophis haud ita multum distat ultima mysticorum impurorum et fanaticorum factio, qui ad lucem intus in pectore flagrantem et divina collustrantem, ad *Christum in nobis* discipulos remitti volunt, qui contritionem, contemplationem, solitudinem, mundi odium puerorum animis incutiendum esse, doctrinas artesque humanas, ut infernales, extinguendas dicunt, quum summa scientia veraque sapientia et doctrina e S. Joannis Apocalypsi unice hauriri possit.

Reliquum est, ut de altero vocabulo *animus* (Gemüth) brevi videamus, quem alii quidem recte definiunt fontem, qui omnibus cogitandi, sentiendi, agendi facultatibus scateat, quasi focum communem et fundamentum totius vitae humanae; alii autem sentiendi tantum vim esse in animo volunt; alii idem cum pietate ducunt omnemque religionem in singulari quadam hominis facultate, quae ipse animus sit, locum suum habere putant. Plurimi denique haud multum absunt, ut mollitiem et muliebrem patientiam animum esse dicant.

---

§. 2.

Num ex his constitui possit res?

Omnes illi dicentes, discipulorum animos religione esse imbuendos a magistris, idque doctrina verbisque non minus, quam vita et exemplo fieri debere, hoc fere volunt, ut cognitionem Dei recte ac satis imbibant pueri atque ex ea cognitione totam vitam suam regere ac moderari consuescant. At de ratione modoque, quo id fiat, tacent, ut cuius inveniendi et pulcre confirmandi proprium sit et singulare ipsorum magistrorum officium atque negotium. Nil dicam, quam iniuste agant, qui, quum discipuli longe minimam aetatis partem in scholis et sub magistrorum oculis degant, magistros solos rei periculum subire cogant. At forti animo subeamus onus.

Jam

Jam si reputas, singulas illas factiones, exceptâ fere secundâ, quam obsoletam et ultra naturam esse rationisque expertem philosophi dicunt, sectatores suos habere ipsos scholarum magistros diligentissimos ex 50 amplius annis, quum primum Gallofrancorum insipida sapientia et elegantia materialis nos servos imitatores allexerit, mox *Kantii* ars critica et Idealismus, tum nuperrime crudus quidam rudisque Materialismus ita obstrinxerit, vix ut vinculis solvi posse videamur, nil superesse plurimi putant, nisi derelictâ falsâ istâ philosophiâ, quam falsam esse et cogitatio et experientia doceat, veterem illam, quam secundam diximus, viam relegere. Quod quum clamitantum illorum maior numerus, qui non philosophiam et eruditionem iactent, sed religionis publice sancitae christianae desiderio impellantur, fieri velint, consensum quendam et conformitatem religionis et fidei omnium aut plurimorum, quae ne omnia et divina et humana male dilabantur omnino necessaria sit, hac unâ viâ optime ita parari, ut dissentientium minor numerus non solum nobis non noceat, sed ad magis stabiliendam et sensim exornandam nostram formam mirifice adiuvet. Absit igitur, inquit, ut dissentientes animo parum christiano exsecremur et persequamur: at vero ad constitutam illam sancitamque religionis formam tuendam et ab arbitrariis hominum novationibus servandam summis viribus nitendum est. Fac igitur plures diversas factiones verum ὄντως ὄν quaerere et iam se invenisse putare, sed singulas suo modo et forma, semper, ut fit inter victores humanos, ea pars obtinebit et sua voluntate res divinas publice constituet, quae non magis sapientia et consilio, quam multitudine et vi superet. Quod si consideramus vetus illud proverbium *vox populi vox Dei*, quod ex his rebus divinis originem duxisse videtur, sequitur, summam reverentiam deberi a minore civium numero illis institutis, quae plurimi rite sancteque venerantur; minime tamen coactam illam et servilem reverentiam, quae a curia Romana ferro et igni extorquetur, sed eam, quae ex rei ipsius conditione et necessitudine cognoscitur, quam quidem doctos scholarum magistros optime intellecturos speramus. Nam haec est una conditio, sine qua societas quaequam ne cogitari quidem potest. Nil vero impedit, quin nos Evangelici formam illam externam, ut ab hominibus constitutam, ex aliqua parte cum consilio et prudentia interdum mutare possimus, imo ex indole et conditione confessionis nostrae ad sic agendum obligamur, ne segnities et languiditas sensim invadat et occupet ecclesiam, tum vero ut cognitio veritatis ipsius in nobis aucta meliorem in dies dignamque se formam induat. Quod igitur, ubi cum temperantia, sapientia, pietate a novatore factum, omnium aut plurimorum consensu accipitur, non est mutare et turbare, sed ornare et confirmare. Modo religionis nostrae primaria duo capita, *Jesus Christus, Dei filius*, et *biblia sacra*, his rebus novis tanquam fundamentum subiaceant et intacta maneant.

Praeterea cavendum, ne, quum publica illa religio omnibus institutis humanis totique vitae civili artissime sit coniuncta et quasi in unum corpus concreta, mutatio illa civilem vitam turbet. Quod si dicant fortasse illi, quos supra memoravimus (1. 3. 4. 5.) se hoc ipsum et voluisse et nunc velle, ut forma melior nobiliorque ecclesiae christianae existat, mox videmus, eos aut rem non cum prudentiâ et temperantiâ egisse neque plurimis probasse, sed fere invitis plurimis intrusisse, itaque turbasse fidem non confirmasse, aut, quod a maiore eorum numero factum esse non sine maximo dolore cognovimus, eos non de christianâ eccl., sed de novâ suâ qualicunque cogitasse, unde, si fortissimum auxilium a bonis quibusque citissime non aufertur, rem ipsam divinam funditus eversam mox habebimus. Cuius sane auxilii ferendi cui maior est opportunitas et copia quam scholarum magistris? Maximum enim esse doctrinae et institutionis vim per totam vitam futuram, quis dubitat? Nam illis dictis et sententiis, quas puer et iuvenis sexcenties audivit et imbibit, prorsus se abdicare easque radicitus evellere vir nunquam valebit. Unde evenit, ut homines quidem provectioris aetatis nunc viventes, qui vetere illo christiano tempore ex bibliis sacris et certa dogmatica forma instructi fuerint, a meliore quodam spiritu, qui olim audita illa divina verba passim in aures susurret, vel inviti ducantur, at eorum filii, sive viri iuvenes sive adolescentes, iam religionis christianae acerrimi contemtores memorandum illud Horatii probent: (III. Carm. VI., 50.)

> Aetas parentum, peior avis, tulit
> nos nequiores, mox daturos
> progeniem vitiosiorem.

Ut igitur libidinosi illi et impii, qui divinam salutem sibi oblatam ferociter contemnunt, perdantur, filios saltem eorum ab exitio servemus, ne melioris futurae aetatis spe prorsus destituamur.

At vero quantae sint eius consilii prosequendi in Gymnasiis difficultates nunc brevi nos videamus.

CAPUT

CAPUT II.

DE DIFFICULTATIBUS QUIBUS EA RES IN GYMNASIIS ADHUC OBRUTA EST.

In difficultatibus enumerandis praecipua tantum loca ita teneamus, ut primum quae ex ipsa re, tum ex magistrorum discipulorumque vario ingenio et indole nec non e totius scholae ratione et conditione, denique quae ex totius vitae tam publicae quam privatae atque ecclesiae evangelicae praesenti statu oriantur paucis significemus.

§. 1.

De difficultatibus ex ipsa re natis.

Ac primum quidem veterem illam religionis instituendae formam, quam tu desideras, sic pure et nude restitui posse tune putas? At cave, ne et vanum quoddam, et inutile et ipsi religioni pietatique repugnans petas. Nam ut de reliquis factionibus, eam rationem indigne ferentibus et quam fortissime oppugnantibus taceam, quo utique animi ille fideique consensus, quem tu quaeris, plane concidit, num fas est credere, formam humanam qualemcunque per se esse immobilem et absolutam, neque ita a Deo hominibus impositum, ut in dies perfectiorem digrioremque illam formam fieri ac sensim sensimque a vero divino propius abesse curarent, non vero id ipsum divinum ab omni parte arripuisse atque iam possidere unquam opinarentur? Quod quidem tu nobis in posterum concedens, ab initio facere vetas. Jam si tu dicis non sermonem fieri de eâ viâ, quae per se optima sit, sed de eâ quam meliorem esse reliquis usu edocti simus; num prudentis sapientisque esse potest, volventia tempora revolvere? non progredi, sed cancrino gressu regredi historiamque ipsam retrocedere iubere, divinoque numini quasi Epimethei partes non Promethei concedere? At errores veteris quoque viae, etsi minus perniciosi quam reliquarum illarum, apertiores tamen sunt, quam qui negentur, et a philosophis omnium oculis detecti, quare falsi suspicionem in plurimis excitavit in illam philosophia critica, quae etsi neque ipsa per se, neque filiabus sive germanis sive spuriis adiuta, vera atque perfecta dare potuit, hoc tamen effecit, ut cum instituendi via et ratione ipsam religionem fidemque christianam una damnantes philosophi omnia miserrime pervertérent et de religione suo scilicet modo docentes, pro Deo ac divini numinis paternâ providentiâ, rationem humanam, pro Jesu Christo se ipsos, rationis humanae praesides et tutores,

furtim

furtim et astute commendantes, hominumque avaritiae atque arrogantiae divinam gloriam blande promittentes (Genes. III., 5.), christianam sane religionem fidemque divinam prorsus tollerent. — Tanta igitur amissa ut scholarum magistri recuperent atque in integrum restituant, non recte meritoque imperas. At vero philosophorum atque scriptorum profecto est, quae perdiderunt et abstulerunt, ea hominibus reddere, ab Jdealismi et Materialismi vesaniâ redire ad Deum patrem et Jesum Christum invictisque argumentis demonstrare, neminem esse philosophum, sed potius stupidum omnisque religionis et rationis expertem, qui non sit christianus, ut, quod hucusque obtinuit, *philosophum esse* et *christianum non esse*, iam non amplius *idem* habeatur. A philosophis in universitate litterarum iuvenes docentibus hoc primum auxilium profecto petendum, ut philosophiam sanam doceant, quae religioni pietatique et generis humani saluti non solum non repugnet, sed eas res tueatur. Scholarum enim magistri, in primis iuniores, illorum philosophorum doctorumque potissimum auctoritatem unice sequuntur traditamque ab illis sapientiam scholis suis cum discipulis communicant. Quo ipso etiam accidit, ut omnibus parum prudenti consilio raptim mutatis, fides illa vetus et simplex, quam tu iubes, fidem suam apud homines perdiderit. At facile erat rem sanctam perdere, restituere est difficillimum. Verbis mandatisque ea res non adiuvatur, sed turpissime laeditur: quare hoc Romanae ecclesiae servitiis linquamus. Quod si dixeris: „vos habetis biblia Ss., omnis religionis fontes!" — nobis respondere liceat, quod olim summus ille rex, qui philosophiam humanam, quam ipse haud segniter per totam vitam prosecutus erat, populo suo omni modo commendare studuerat, de verâ salute publicâ hac viâ parandâ desperans, circa vitae finem dixisse fertur: tu redde religionem fidemque populo, tu divinum honorem publicum bibliis Ss. et religioni christianae! Nam bibliorum copias in vulgus effundere, praecepta ipsa in tota vita negligere, non tam est rem iuvare, quam affligere. Tune quam vim divinam in tuo pectore non habent illi libri, eam prodigioso novoque modo in *plebis puerorumque* animis eosdem efficere posse ridicule speras? quam tu ipse fidem illis libris recusas, eam ab aliis cum vi et impetu desideras? At fides legendo quidem vel docendo quodam modo firmari et regi potest, non vero hominibus tradi atque incuti, sed intimo hominis pectori insidens vel maxime vivendo cum aliis et agendo aut excitatur et nutritur, aut opprimitur. Scholasne igitur tu vitam publicam moderari fidemque et religionem vel pueris instillare posse existimas, dum, quae a magistris recte probeque doceantur, ab hominum multitudine domi forisque negligantur aut ludibrio sint? — Attamen hoc unum, inquis, gymnasiorum officium est proprium, ut, quum ipsa falsorum illorum philosophorum primae olim nutrices fuerint, nunc gravissimâ istâ culpâ ita se liberent, ut meliores et sapientiores veritatis religionisque defensores futuros alant. Quod quidem fiet, si ipsi magistri sani

sunt piique philosophi. — Vix est, quod his tuis „*ideis*" respondeamus. Nonnulla tamen secundo loco dabimus.

---

§. 2.

Altera difficultas ex magistrorum ac discipulorum vario ingenio atque natura totiusque scholae conditione.

Jam venimus ad aliam difficultatem, quam ingenii, naturae doctrinaeque varietas, nec non discipulorum indoles magistris imponit, tum ipsius Scholae conditio quam maxime auget. Videamus, quam brevi fieri potest, de singulis.

Ac primum quidem necesse non videtur pluribus persequi, quantam vim habeat ipsorum magistrorum ingenium ac mens variaque studia in rerum divinarum explicatione et usu. Ubi tandem in tanta sententiarum varietate inveniatur consensus? Bibliane Ss. eum efficiant? At ubi ea bibliorum Ss. accuratior cognitio, quae, ut omnia ex mente christiana definiantur prorsus est necessaria? nam quod omnes uno ore exclamant, *religionem* omnium rerum docendarum fundamentum et quasi animam esse nihilque fieri cogitarive debere sine ea, his verbis vix unum, qui rem accuratius exploraverit, decipi posse spero. Num voculae illae, quas magistri e philosophorum scholis librisque memoriae pectorique sedulo tradiderunt, quod genus „verere te ipsum" (achte dich selbst) „ubivis sequere tuam rationem et conscientiam" (folge überall deiner Vernunft und deinem Gewissen) „fidem habeas humani generis virtuti" (glaube an die Menschheit) aliae sexentae studiosissime venditatae puerisque maxime commendatae pro christianis habendae sunt? An sufficiat, quod magistri, quae pauca dicta biblica ipsi olim pueri inter scholarum scamna male audierint, ea nunc parce depromant? Attamen bibliorum Ss. accuratius studium, quam alienum singuli a propria sua disciplina et doctrina ducunt, Theologi solius hoc esse putantes, non omnium doctorum! qui sane, dum in omnibus rebus humanis ipsos fontes adire veteresque libros evolvere primum et summum ducunt, hac in re divina gravissimaque turbidis novissimorum hominum rivulis sitim extinguere sat habent. Maximum autem damnum religioni christianae ab iis afferri, qui, dum biblia Ss. probe se nosse simulant paucisque formulis dictisque veritatis speciem captant, mox dicendo agendoque se rei maxime ignaros praestant, nemo infitias ibit et apertum philosophorum bellum tam inhonestae amicitiae simulationi non proferet. Quam ob rem a maioribus nostris, qui Theologos fere solos scholarum magistros esse voluerint, huic rei melius provisum esse multi existimant. At vero nos idem consilium secuturos, non eosdem tamen fructus percipere posse equidem puto.

puto. Nam ipsi religionis magistri Theologi, ut certa forma, quae ab evangelica ecclesia seu universa s. provinciali quadam praescripta sit, restricte teneantur, num omnes vel adeo maior numerus, in tantâ philosophiae humanae his temporibus auctoritate et licentia, cum illâ ſormâ ab omni parte consentient? Quod si rem publicam sacram sustinere optimos viros, vel dissentientes et fere invitos, prudentia iubeat, fieri non potest, quin munere suo minus acres, ne dicam languidiores, perſungantur. Nam proprias suas de sacris publice institutis emendandis in publicum proſerre temeritatis esse putabunt, non pudoris et probitatis; deest autem tribunal sanctum, quo sapientissimi doctissimique et probatissimi viri evangelici de rebus emendandis sibi propositis iudicent, tum totâ ecclesiâ consentiente emendationes ratas faciant. Quotus autem quisque magistrorum eâ est temperantiâ, quin rem a se meliorem cognitam statim pueris tradere summum pietatis veritatisque officium habeat? permittit hoc scilicet libertas evangelica. Hanc vero praedicans, discipulis quoque eandem dubitandi emendandive veniam concedere cogitur.

Fac autem, omnes eiusdem gymnasii magistros bibl. Ss. et penitus nosse et pie sapienterque iis ducibus discipulos divinas humanasque res docere, oritur novum difficultatis genus ex forma docendi et methodo. Ac primum quidem *magistri* quomodo rem tractent? Num multas illas historias biblicas continuo sermone narrent, an ipsa verba biblica pueros primum legere, tum memoriâ repetere iubeant, notatis nonnullis locis, quae domi memoriae tradant? Quod si optimum videtur, triplicem illum modum coniungere, quantum obstat temporis brevissimum spatium, quin totum curriculum percurras. Atqui ea sane brevior est totius campi pars: nam ubi, quod res est, ut fides sit salutaris, diversas vitae humanae conditionis proponere, hominum varia ingenia et mores et facultates pro captu puerorum vel iuvenum evolvere, vitam publicam et privatam non leviter tantum attingere sed rationibus suis satis firmare, omnia de quibus controversiae fieri possint (quam casuisticam vulgo vocant) dirimere multisque exemplis probare, tum, ne res verbis tantum aures oblectet, sed mente capiatur, interrogandi arte (*erotematicâ*) uti discipulosque ipsos ad rem curiosius perquirendam impellere velis,*) quis labor, quod studium, quot temporis! Tum, ne quid omittatur aut extra ordinem tractatum cognitionem turbet, libro opus erit, quo duce magister certior procedat. Ubinam vero is est? Nam, ut puerulis sufficiat Lutheri catechismus, nuperrime paullo auctior editus, iam in mediis gymnasio-

rum

*) cf. de his omnibus Kantii Metaphyſ. d. Sitten p. 56. p. 74 — 133. passim. nec non eiusdem fragmentum catechismi moralis l. l. pag. 168 — 172, cuius formam in singulis omnibus virtutum et flagitiorum generibus adhiberi vult vir summus et sagacissimus (pag. 172.)

rum classibus alio libro copiosiore indigemus,' alio denique copiosissimo in superioribus, quum neque *Niemeieri*, neque *Marheinekii* libelli, neque vetustiores illi, *Doederleini* institutiones, Catechism. Hannoveran. cum *Beieri* verbosis addidamentis, totaque catechismorum legio minime sufficiant, ad omnia ille ex mente christiana plene docenda. Tu noli putare, me novas et immensas copias inepte quaerere, immemorem eius animi facultatis, quae similia comparare et coniungere atque ex lege quadam universali singularia constituere possit (*analogia*): quam ambigua enim sit haec facultas, quam praeceps in rebus fidei et officiorum, nemo ignorat. (cf. *Kant*. l. l.) — Atque tam operoso libello bene parato, nihilominus tamen magistro opus est, qui non solum doctissimus sit atque in historia et rebus humanis quam maxime versatus, sed etiam philosophus, qui hominum naturam et facultates optime norit, tum facundissimus et discipulorum vires explorandi ita expertus, ut nunc memoriae et recordationis vim, nunc inveniendi facultatem probe exerceat. (Catechetica et heuristica s. Socratica methodus, quam vulgo vocant.) Unde, quaeso, tanta excellentissimorum magistrorum et polyhistorum multitudo paranda? Nam ut unum alterumve invenias, habebis statim totam cohortem per singula gymnasia distribuendam?

Deinde *ipsi discipuli* num narrata et explicata domi litteris tradant, paucis pueri, pluribus adolescentuli, fusius et speciminis loco, adiectis suis observationibus, iuvenes? At puerulis id difficilius erit, omnibusque in tanta reliquorum laborum mole nimium. Verendum quoque, quum tota res magnâ ex parte ad philosophiam pertineat et omnium aut plurimorum vires superet, ne, ut fit in eiusmodi generis puerorum scriptis, verborum et formularum farrago cum magno taedio scribentis discipuli et maiore magistri emendaturi inscite et indigne qualicunque modo, ut mandatis satisfiat, cumuletur. Quid? quod tanta scriptorum domesticorum multitudo a magistro vel fortissimo reique scholasticae peritissimo vix inspici, nedum emendari potest.

Crescit haec difficultas maxima varietate, quae discipulorum et ingenio et indole et futura vitae conditione cernitur. Nam non sat erit rem sic distribuere, ut omnibus 6 classibus in 3 ordines divisis infimum ordinem prima rudimenta, historicam bibll. Ss. partem, decalogum s. brevem officiorum summam et primaria fidei christianae capita ex Lutheri catech. doceas, tum medio ordine has res continuando et dilatando adolescentulos ad pleniorem cognitionem ducas, denique summo ordine methodo quodammodo philosophica utaris. Necesse enim est ut, quum ex inferioribus ordinibus multi discipulorum scholam relinquant, singuli ordines rem ab omnibus partibus absolutam habeant. Quod si dicas, hoc omnino fieri, ita tamen, ut iis, qui futuri sint docti, plenior et accuratior merito

detur

detur doctrina, equidem contra dixerim, in religione vel adeo ordinem inversum esse oportere, ut ii, quorum mens in posterum doctrinâ destituta et minus exercitata sit, in ea potissimum re, quâ nemo sine maximo et suo et civitatis periculo carere potest, accuratissime exerceantur, ad quod efficiendum neque concionatorum scholae per unum annum habitae, neque ipsae conciones sacrae, neque sola bibll. Ss. lectio — quam rarissimam hoc tempore scimus — multum iuvabunt, nisi mens ad intelligendum quae legeris vel audieris multis modis sit edocta.*) Sin dicas eosdem pueros, qui vel ex infimo ordine e gymnasiis discedant, quum ante 13 vel 14 annum peractum rarissime hoc faciant, per longum utique tempus easdem res toties repetiisse, ut pectori firmissime inhaereant, tu vide, ne haec, quam laudas, repetitio discipulo taedium paret, ingenium suum qualecunque hebetet et sanctissimae rei non solum nullum commodum sed etiam damnum afferat. Is enim sentiens se ulterius non procedere in cognitione, et sibi et reliquis erit molestus. Fac autem, magistrum disertissimum easdem res centies auditas novis verbis pulcerrime exornare et tanquam novas imperito discipulo praebere scire, haec verborum speciosa ars nil iuvat rem et animum.

In medio autem ordine res facilior videtur, non est. Hîc enim adolescentulorum animus praecox et effrenus sancta parum curat, vix ut cum silentio magistri verba auribus excipiant, ore repetant. Adde quod omnes et animi et corporis vires in hac pubertate novo quodam ardore atque fermento ebulliunt, quod discipulorum mens, consilii expers, multas res sentit et nunc quidem — quae temporum morumque perversitas est — videt, audit, gustat, quae, quum magis titillent molliculos et oblectent, magistri severis praeceptis anteferuntur, ut divina verba his feris frustra revelare vel pigeat vel nefas videatur (Matth. 7, 6.). Dubitandum enim, an centesimus quisque magistrorum aut tam fortis sit, ut brevissimo aliquot horarum spatio vel optimae demonstrationis et admonitionis vi tot turpitudinis semina, quae per multos dies validissimas radices egerint, exstirpare valeat, aut tam segnis et patiens, ut optima praecepta dictaque sacra, naeniarum et facetiarum vitae civilis et domesticae peste obruta et oblitterata, perpetuo novae ruinae indigne tradere velit. — Progredimur ad superiorem iuvenum ordinem. Quam ferox haec aetas! quam ad dubitandum inclinata! quantum consilio suo et ingenio, quantum virtuti ac fortitudini fidens! quam studiosa libidinis atque licentiae, (quam libertatem ipsi iuvenes vocant), quam cupida

*) Scholae quidem nonnullis locis die dominica opificibus habitae (Sonntagsschulen) si prudenti pioque consilio instituerentur, haud mediocrem praeberent utilitatem.

cupida honoris et gloriolae! quae omnia, quum fidei pietatique quam maxime sint opposita, aut inexsuperabiles magistro docenti sunt difficultates, aut, ubi legem poenarumque severitas iuvenili petulantiae frenum imponit, simulatores habebit sibique odium parabit et in simulationis suspicionem vel ipse incidens apud discipulos gratiam et honorem perdet.

Adde novum idque gravissimum rei impedimentum, reliquas doctrinas, menti christianae tam alienas nec raro repugnantes, ut cum religione nostra uniri vix posse videantur. Nam primum eloquentia graeca et romana nonne tanquam omnium rerum divinarum humanarumque summa, tanquam lux salutaris, sine qua omnia nebulis et caligine obtegantur nihilque recti et pulcri inveniri possit, pueris iuvenibusque ab omnibus studiosissime commendatur? Quid mirum, si, quod cardinalis et historicus ille doctissimus, Petrus Bembus Leoni X., Pontif. max., summâ facundiâ et sagacitate probasse dicitur, veteribus Graecorum Romanorumque Deis, in quorum religionibus et nominibus celebrandis optimi pariter ac pessimi scriptores nostri elegantiae et eloquentiae laudes sibi quaerunt, sedes suas relictas cedendas, Divisque sanctis ecclesiae Romanae Jovem O. M. cum turba Deorum Dearumque et Nympharum ac Daemonum substituendum esse, iuvenibus nostris placeat et doctrina de Jesu Chr. ludibrio fiat? (1. Cor. 1, 23.) Nam ut hic ardor crescat facit *veteris historiae* gloria, rerum publicarum et civitatum apud veteres sapiens constitutio, fortitudo, virtus, quibus opponunt doctorum nostrorum plurimi medii aevi barbariem, christianae religioni debitam, et docent, instauratis demum litteris antiquis emendatam esse ecclesiam christianam. Neque huic perniciei medicinam affert patriorum scriptorum lectio. Nam poetae nostrates celebratique elegantiâ et facundiâ viri, quos *classicorum* numero nos quidem habere consuevimus, *) si *Gellert.*, *Klopstock.*, *Herderum*, *Claudium* alios paucissimos exci-

---

*) Memorandum sane, quod veteres Gr. et Rr. scriptorem quemcunque, religionem publicam laedentem, bonis, nedum optimis adnumerare nefas habebant. Abiecta denique prisca religione et pietate factum est, ut ab artis et sapientiae culmine summi illi populi deciderent et classici aevi, quod dicimus, terminus poneretur. Nam philosophia Aristotelis anatomica — sit venia verbo — philosophiam Platonis poeticam et religiosam misere sepelivit; mox omnis poesis et ars graeca a doctis viris, qui neque patrios Deos neque fidem divinam, at vero plurimam doctrinam habuerunt, Alexandriae discerpta et notulis inundata, evanuit. Sed de his hactenus. Maxime sane dolendum, nos ne unam quidem habere tragoediam nostram, quae tam pie religionem patriam colat et tota circa eam versetur, quam singulae quaeque Graecc. fabulae. Nam celebratissimas illas Lessingi, Schilleri, Goethi fabulas — ut de monstris istis novissimis Kotzebovis, Müllneri Grillparzeri, Raupachi, Klingeri aliorum taceam — sententiis gravissimis, magnificis verbis, formae pulcritudine aures blande permulcent, sed religionem christianam nón modo non curant, sed affligunt. Quid igitur irascamur philologis, qui veterum scriptorum exempla religionis et virtutis iuvenibus unice legenda et imitanda esse maximo opere contendunt?

excipias, num christianam mentem vel paullulum declarant? De historicis nostris, antiquam vitam tanquam salutis fontem laudantibus modo dixi, quorum tamen nunc plurimi, fanatica quadam et mystica vesania acti, medii aevi formam hierarchicam praedicant, causae evangelicae vel insidiosi vel inscii obtrectatores et perditores acerrimi. (v. sup. cap. 1. §. 1. fin. et inprimis *J. H. Vossii*, viri doctissimi et fortissimi, novissimus libellus „*Antisymbolik* Sect. III. et passim. — Philosophos nostros, qui summis nominibus gaudent, vix nominem, quos maximum damnum religioni fideique et fecisse et nunc quoque facere notissimum est.

Ergone istos classicos nostros in librorum iuvenibus prohibitorum catalogum scribendi inanem laborem suscipiat magister? an eorum loca irreligiosa inter legendum transiliat? quod idem est ac iuvenes ad clam legendum sollicitare; an lecta refutet? quod quum arduum est et longum, tum vero aut invidiae et arrogantiae suspicionem de te, contra eximios et conspicuos viros temere nitente, in discipulorum animis excitare, aut adolescentes tibi confisos, sed prudenti consilio nondum satis firmatos, ad iudicii temeritatem et insolentiam in summos viros facillime seducere possit.

Quid dicam de mathematice et physice? quae quum munitissimam veri indagandi et definiendi viam certissimasque naturae rerum leges iuvenibus promittant, omnia, quae rationem humanam superant, aniles superstitiones habent, nil rectum homineque dignum ducentes, quod suis praeceptis et argumentis firmare non possunt.

Reliquum est, ut moneamus de tempore gravissimae huic et amplissimae rei destinato. *Duae* sunt *horae* per hebdomadem, quibus, quum vulgo lectionum scholasticarum initium faciant, ubi preces consuetas repetitionemque necessariam tempori detraxeris, dimidium fere horae spatium singulis ceditur. Tu noli dicere, animi facultates, quibus bonum rectumque cognoscant pueri, per omnes reliquas lectiones acuendas esse: hoc enim, ut quandoquidem a singulis magistris probis piisque fiat, neque uberius et plenius perfici potest, ne rebus propriis nimium detrahatur, neque discipulos habebit attentos et dociles; neque denique ingenium *acuere* est, ad *rectum cognoscendum* et *omni vi persequendum agitare*. Jam ad tales tantasque res, quas supra memoravimus consilio quodam et eâ, quae rem decet, gravitate et curâ, ex omni parte explicandas et constituendas duae illae horae per totam scholasticam 10 fere annorum vitam minime sufficere posse, nemo est quin videat, neque brevi illa concionatorum sacrorum institutione privata rem absolvi et ratio et experientia docet.

---

§. 4. Tertium

§. 3.

Tertium difficultatum genus e vita tam publica quam privata, nec non e praesenti ecclesiae evangel. statu ortum.

Venimus ad ultimum difficultatum genus idque gravissimum, quod a vitae tam publicae quam privatae conditione, nec non ab ecclesiae evangel. qui quidem nunc obtinet statu, originem ducit. De altero hoc, quum prioris quasi genetrix sit, prius dicamus.

Fac igitur omnia illa quae enumeravimus impedimenta removeri posse *primum* certâ docendi formâ publice praescriptâ, *tum* compendiariis libellis, quibus ducibus magister religionis in gymnasiis docere discipulos obligetur, *deinde* magistris ipsis, qui, et theologiâ christianâ eiusque partibus, et auxiliaribus doctrinis, historiâ, philosophiâ, eloquentiâ vetere satis imbuti, praeterea non solum disertissimi et sapientissimi, sed etiam virtute et morum integritate insignes, ad publicam illam formam in scholis et vitâ tuendam et observandam lege et iurisiurandi religione sint obstricti, fac *denique* omnes quoscunque viros docentes scribentesque et eâdem lege publice sancitâ et suâ prudentiâ prohiberi, quin contra eam religionis publicam formam quidquam vel dicant vel scribant vel agant, obnitentes vero ex totâ legis severitate puniri — attamen ante omnia necesse erit, eam legem publicam ratam habere et civilibus subsidiis munitam. Quis, quaeso, eam legem adhuc tulit, aut statim feret? quis illum libellum ducem publicum scribet? quis utrumque ratum habebit? — Nos Evangelici, ne curiam romanam sequamur, quae, ubi primum dixit, constituendam esse hanc legem ab *ecclesia universa* (*catholica*), mox, omissis patrum conciliis et consensu populi christiani, imprudentiusne an astutius et insolentius vix dicam, totam rem defert ad *unum* hominem, Pontificem max., qui ad sustinendam potentiam suam et arrogantiam Inquisitorum sacrum tribunal et Jesuitas suos instituit; — nos igitur dicimus: „hanc legem fert ipe Dominus Jes. Christ. et Bb. Ss. eâ sane formâ, quae in vetustissimâ Apostolorum ecclesiâ erat constituta. Sic factum est Lutheri, Zwinglii temporibus." — At quam diversa nunc sunt tempora! Libertas christiana, quâ summi illi viri cum sapientiâ et temperantiâ utebantur, in tantam doctorum indoctorumque licentiam abiit, ut quisque iam cum Pharaone isto palam quaerat: „quis scilicet est Dominus cui obediam? liber sum! rationem meam sequar et naturam, quae ambo sunt divinae originis; ergo hoc faciens Deum sequar, Deo similis ero. (Genes. 3, 5.) Est Deus in nobis." — Quod si nos quaerimus: „monstra nobis Deum tuum, quem et nos adoremus," mox apparebit εἴδωλον, cuius aut foeditatem abhorrere aut vanitatem deridere cogimur. Inde rixae et convicia parum honesta reique divinae maxime obnoxia, inde diffidentia mutua et obtrectationes: singuli enim verum Deum suum habere sibi persuasissimum habent, cui asseclas parare

 scri-

scribendo docendoque omni vi et impetu nituntur. Quid mirum, quod plurimi, quum animorum consensum quendam in rebus divinis ardentissime desiderent, de *libertate* evangelica cum *lege christiana* iungenda desperantes, externam et speciosam ecclesiae romanae unitatem huic nostro statui dissoluto praeferant? Ante omnia igitur necesse videtur, ut alter surgat Lutherus, qui multis illis Dominis et Pseudochristis, qui ubique res divinas turbant (Matth. 24, 5. Marc. 13, 6, 22.), fortiter expulsis, pro sacro illo *Kantii* εὐδαιμονισμῷ, Epicureismi haud ita multum absimili, fidem in Deum Patrem et Jesum Christ., quae nunc derisa et a plurimis abiecta iacet, humano generi reddat veramque ecclesiam catholicam evangelicam constituat. Hoc ipsum optimos quosque sentire, docet summi et vere *Christianissimi* regis Bavariae lex de eccles. evang. in terris suis conformanda, quem mox imitaturos esse principes regesque *evangelicos* et speramus, et ex multis illis de catechismo evangelico scribendo, quae apud nos publice proferuntur, disputationibus et speciminibus coniicimus. Verendum tamen, ne, ut saepe fit, res parum prudenter incepta sit a fine; nam catechismum seu libellum compendiarium fidei christianae qualemcunque publice sancire velle sine ecclesiae evangelicae consensu, imo nullâ ecclesiâ usquam constitutâ, sibi repugnare videtur, quum neque habeas, qui libros tuos probet, neque cui tradas.

Quae quum ita sint, sequitur, nos Gymnasiorum magistros, priusquam ecclesia evang. constituta et publicis legibus sancita fuerit, nihil docere posse, nisi quae vera nos ipsi penitus cognoverimus, qua in re alii nostrûm iique plurimi philosophicis rationibus utemur, alii, minor numerus, mere biblicis et christianis; vero ubi primum constitutam quandocunque habebimus ecclesiam, ne magistri cuiusquam vel languiditas vel simulatio vel repugnantia sanctissimae rei noceat, iis tantum docendae religionis munus esse tradendum patet, qui ad legem illam publicam, cuius sectatores ipsi se sincere et libere profitebuntur, toto animo et pectore amplectendam et pro virili tuendam se obligarint.

Jam, quod reliquum est, in campum descendamus, quo omnibus fere temporibus acerrima parentum et magistratuum cum scholarum magistris pugna est habita. Alteri enim, iterum iterumque clamitantes, hoc summum scholarum munus esse, ut mores et vita puerorum formentur, idque maxime effici religione et pietate, hoc desiderant, ut singuli pueri non solum docti, sed pii et omnis virtutis summa exempla mirum in modum exsistant, quod, quum in omnibus fere rebus pueri imitentur magistros suos et quasi eorum sint imagines, certissimum gymnasii alicuius vel pravitatis vel praestantiae testimonium esse putant. — Alteri nos haec respondemus: est sane illa, quam dicitis, magistrorum imitatio in puerorum animo insita, sed item altera, eaque tam naturae vinculo quam temporis

diuturnitate longe fortior, parentum suorum, cui accedit tertia illa communis omnium hominum, maxime puerorum et iuvenum, nova imitandi cupido. Quare cogitari vix potest, fore, ut puer, quae in scholis audierit cognoveritque, firmius animo teneat quam quae in vitâ civili et domesticâ, quod et ipse quotidianus usus docet. Ut igitur nos magistri rem praestare possimus, quam maximus disciplinae doctrinaeque domesticae et civilis cum scholasticâ consensus necessario requiritur. Attamen ne sic quidem satis certi erunt successus — quod instituta illa privata et publica docent, in quibus pueri totam aetatem peragunt — nisi puer ante initam scholam eodem consensu inde ab incunabulis est ornatus et educatus. Ille enim consensus, qui post multa domi aperta pueri alicuius vitia et crimina parentibus demum cum magistris vi quadam et necessitate oritur, saepissime nihil expedit. Non enim ea est scholae et educationis vis mirifica et fere divina, ut inveterata vitia sanare et in melius vertere possit. Jam vero a scholarum magistris duo exiguntur miracula, alterum, ut puerorum pessimorum naturam et malas consuetudines brevissimo tempore corrigant, alterum ut parentes, omnis artis et consilii saepe expertes, in sapientissimos et prudentissimos educationis socios citissime transforment. Quae qui solvat, maximus nobis erit Apollo. Ex uno igitur alterove *malo* discipulo iudicium sibi de scholâ aliquâ fingere, non minus est imprudens quam iniustum. Neque enim 3, neque 10, neque denique maior sceleratissimorum discipulorum numerus tale iudicium satis confirmare valent. Contra *unus probus piusque* discipulus invictam bonitatis et praestantiae laudem scholae suae vindicat, quippe qui ab omni morum naturaeque pernicie in tantâ reliquorum discipulorum peste magistrorum tantum sapientiâ et virtute integer servari potuerit. — At profecto merito damnandam esse putamus scholam, ex quâ multorum annorum spatio ne unus quidem discipulus prudens, pius, probus processerit. Brevi: quum unicum hoc gymnasiis datum sit, ut discipulorum pectus optimis veritatis virtutisque praeceptis imbuant, magistrorum officium unum quoque erit, videre, ne illa praecepta inter scholae parietes laedantur. At tu vide, quanta sint in vitâ civili et domesticâ, quae optima consilia et praecepta scholastica, omnem denique religionem et fidem infringant et affligent. Quae singula enumerare atque perlustrare et longum est, et piget. Habes pauca gravissima.

Ac primum quidem in vita civili: ubi, obsecro, est sensus ille christianus, qui sine ullâ avaritiâ aurique sacrâ famâ, sine honoris vanaeque gloriae cupidine, sine invidiâ et odio, optima quaeque *ex Jesu Christi iussis* fortiter facere ubique paratus, veram animi libertatem hominibus servat? Quid? — nam de singulis civibus loqui parum proficit, quod, quum ex universis pauci semper meliores sint excipiendi, unusquisque paucis illis se potissimum adnumerandum esse mirâ arte sibi persuadet (Matth. 25, 44. 45.) — quod

 insti-

instituta nostra civilia magis philosophiae humanae quam divinae, quae est Christi, praecepta sequuntur, imo hanc alteram ut imperfectam et maiorum barbariei vix sufficientem misere notant? quod christianae fidei sacramenta conventusque sacri ab eis viris, quae et eruditione doctrinâque, et munerum publicorum amplitudine reliquis civibus exemplo esse et cupiunt et debent, nihili habentur aut palam deluduntur? quod verbi divini magistros, molestissimos inutilissimosque cives vel adeo sanae eruditionis veraeque philosophiae acres adversarios nominant, religionemque publice sancitam infimae tantum plebis esse ac barbarirei miseras reliquias iactant? Quid? quod de elementorum scholis, quas dicunt, patriae salutem derivandam omnes uno ore clamitantes, nihil morantur ludimagistri eligendi religionem et mores christianos? quid? quod in publicis vel candidatorum munus qualecunque ambientium, vel iuvenum universitatem litterariam petentium examinibus, scribendae artis, eloquentiae et veteris et nostrae, mathematices, omnium denique humanarum cognitionum sedulo et anxie ratio habetur, religionis christianae non habetur? quod in publico aliquo vel amplissimo munere tribuendo non de christianâ mente moribusque, sed de doctrinâ, philosophia, habilitate quaeritur? quod sagacissimus quisque et versutissimus, idem et optimus existimatur ab omnibus atque colitur?

Tum philosophiae humanae praecepta commendandi et in vulgus edendi, quod studium, quantus ardor! Nil dicam de altiore illa et quasi nimis doctâ philosophiâ *Kantii*, *Fichtii*, *Schellingi*, seu veterum *Platonis*, *Aristotelis*, quorum saepissime scripta minime legerunt, qui nomina identidem in ore habent; sed de populari istâ philosophiâ, quam omni modo omnibus quibuscunque tradere unicam rei publicae salutem et summae humanitatis documentum plurimi opinantur; quae quem habeat auctorem quaeris? libere dicam: *Kotzebovem*, *Claurenum*, *Gustavum*, *Schillingum*, alios aliasque indefessos scribifices et librifices, ut rem barbaram suo nomine appellem.

Adde commune omnium studium augendarum fortunarum, quas philosophi isti eximii nervos rerum ducentes, se Judaeorum contemtorum, sed pecuniae aurique principum, abiectos discipulos et imitatores, imo servos esse facile patiuntur; adde quod ex opibus et reditu civitatum salus et vis penditur, quod quum omni philosophiae sanae, tum maxime christianae prorsus repugnat. Quod si igitur in tota rei publicae administratione, in omnium civium vitâ et studio insigne illud „*virtus post nummos!*" tam enixe commendatur, quid iuvenes puerosque eandem mentem imbibere miraris?

Jam adeas domesticam vitam: reputa voluptates, convivia, sermones! „*Panem et Circenses*" rauca voce conclamant cum puerulis parentes et amici. „Ars! animus! religio! ideae! epulae! deliciae! ludi! amores!" mirâ quâdam vesaniâ mulierculae cum maritis blaterant.

terant. „Antiquitates patriae, signa et imagines pictorum et artificum germanicorum, poesis *romantica*, narratiunculae sanctae et superstitiones medii aevi! heu! quam eximiae! quam animosae! quam divinae!" Germanica est filiolorum vestis, barbarus habitus et incessus. — Ubi vero, quaeso, maiorum *pietas* et religio, ubi *fides* illa et *dextera germanica*, quae in proverbium abiit? ubi animi temperantia et fortitudo in vitae domesticae aerumnis, ubi caritas et mutua errorum humanorum patientia? ubi fides et castitas coniugum? ubi puerorum obsequium in parentes, reverentia in senes et superiores? — „Haec scilicet est „libertas et virtus et fortitudo. Puer sui compos esto! liberum iudicium firmet!" Ubi denique preces illae communes cantusque familiae? — „At taedet strepitus istius dissoni, „qui aures cruciat artique repugnat. Ubi 4 vocibus harmonicis arte cantare pueruli nostri „in scholis didicerint, statim dignas religiones domesticas cum summa voluptate diligentis„sime habebimus; ut in dies melius exerceatur ars et tantae pecuniae nostrae impensae „dulcissimos fructus nos colligamus. — Quas tu quaeris preces nostras, *solitariae* sunt. „Nam singuli nos habemus vota propria, quae alta voce proferre pudor et pietas vetant. „Tune praeterea nescis Jesum Christum ipsum in solitudine preces fundere iussisse?" haec locuti triumphantes recitant Jesu verba Matth. 6, 6., immemores aut nescii aliorum locorum ad ipsos eius generis precantes pertinentium Matth. 15, 7—9. coll. Jes. 29, 13. — Dic, sodes, quid nostras preces scholasticas cantusque cum pueris censes? — „Psha! publica religio longe diversa est a domesticâ." — Ecce pater familias motis labiis devotoque vultu et habitu precans. Audisne, quae Deum poscit? Horatius recitat eius verba 1 Ep. 16, 57:

> labra movet metuens audiri: pulcra Laverna,
> da mihi fallere, *da iusto sanctoque videri:*
> *noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.*

nec non *Statius Silv.* 5, 22:

> — — iniustos rabidis pulsare querelis
> coelicolas solamen erat.

Quae omnia, quum quotidie filiorum oculos obversentur et vitae usu confirmentur, schola radicitus evellere nunquam valebit.

Habes divina numina huius nostri temporis et publica et privata, quorum unum, *aurum* (Plutus et Mercurius) paene omnium summorum infimorumque animos firmiter occupavit; alterum multiplex, *honor*, *gloria*, *regnandi cupido*, *eruditionis species*, cum *voluptatis intemperantia* et *mollissimis deliciis*, quas artes vocant, insuper tenet optimates et qui fortes ingenuique aut sunt aut haberi volunt; denique tertium

numen

numen illis duobus supra additum habent docti viri et philosophi, *scientiam* et *litteras* (Minervam cum Apolline). Ex horum autem doctorum numero quum Gymnasiorum magistri plerumque deligantur, num eos solos aut communi illo morbo non affectos, solos sanctos piosque in tanta totius orbis impietate esse iure recteque volueris; aut si vere sunt nonnulli eorum sanioris piaeque mentis, iine pauci moderatores hominum et quasi creatores melioris generis humani esse sibi arrogent iubeas? At talis moderator non studio et voluntate humanâ, sed consilio et providentiâ divinâ oritur.

Quae quum ita sint, Gymnasiorum magistri muneri gravissimo et difficillimo ita tantum satisfacere posse videntur, ut cognitiones humanas rerumque veras causas et rationes pueris aperiant, rectum honestumque et verbis et exemplo suo commendent, denique sic inter cives vivant, ut iure criminari eos nemo possit. Reliqua dabit vita civilis et domestica.

CAPUT III.

DE REI REMEDIIS SCHOLASTICIS.

Vidimus tantas esse talesque illas quas diximus difficultates, ut Gymnasia nostra non solum a culpâ religionis neglectae liberatae videantur, sed etiam rei restituendae vel emendandae nullam aut minimam opportunitatem iis datam esse censeas. Attamen quum magna impedimentorum illorum pars ex Gymnasiorum formâ instituendique ratione, quae nunc est, oriatur, quumque in eâ civitate vivere nobis contigerit, cuius praesides summo studio res scholasticas in melius transformare cupiunt, hoc nobis libere sumamus, ut de morbi remediis nonnulla ita adiiciamus, ut, omissis illis, quae de publico religionis et ecclesiae statu et conditione, tum de civili et domesticâ vitâ supra attigimus, haec tantum prosequamur, quae primum in totâ institutionum et lectionum scholasticarum ratione mutanda videantur, deinde quae ab ipsis magistris necessario petenda et facienda esse nos quidem arbitremur, adiectis nonnullis rei adminiculis.

Hoc autem, quod iam supra monuimus, omnino praemittendum duco: religionis et fidei vim, quam sapientiae humanae erroribus perditam aut debilitatam dolemus, recuperari prius non posse, quam victa sint falsa haec commenta et firmis rationibus redarguta. Me quidem haec scribentem hoc tantum velle affirmo, ut sapientiores ad rem melius adiuvandam adhorter.

Sect. I. De rei scholasticae omnisque institutionis consilio et fine.

---

§. 1.

Maiorum ac recentiorum ratio et methodus diversa.

Quum apud maiores nostros is esset omnis institutionis finis, ut discipulus *bonus piusque* vir futurus esset, cui in gymnasiis adderetur, ut *doctus*, minimusque eius assequendi doctrinarum numerus in scholis tractaretur, nos eo pervenimus, ut insanâ quadam eruditionis avaritiâ abrepti, rerum multitudine puerorum animum nunc obruamus, ingenium obtundamus, cum summo et scientiae et humanitatis periculo. Ita enim abundant gymnasia nostra cibis epulisque doctis, ut saginam mentis, non nutrimentum coniicias. Quam ob causam, licet plurimis absonum et παράδοξον videatur, tamen dicam: *nos memoriae* et *rerum verborumque multitudini* vim summam tribuimus, maiores *naturae* et *ingenio*. Non certe hoc dico, quasi veteres illi magistri methodum docendi accuratius et artificiosius dispexissent, quam nos. Est autem ipsa artis forma, in quam institutionem doctam redegisse gloriamur, quae nos perdidit, ut quae animo et fere dicam spiritu sancto carere mihi videatur. Ars enim, quâ philosophus aliquis universam rem scholasticam ordinat et distribuit, quum hoc potissimum spectet, ut ex uno primario fonte omnes singulae res deriventur, nil aliud praebet, praeter *materiem*, cuius recte pulcreque *formandae* rationem invenire magistri officium est. Ex illâ demum materiâ cum hac formâ sapienter coniunctâ fit methodus scholastica. At vero aliud est methodum *excogitare*, aliud *adhibere*. Libris sane scriptis rem non absolvi patet. Nam ex plurimis et copiosissimis, quos de hâc unâ re habemus, philosophorum libris, hoc tantum natum videmus, ut, materiem pro ipsâ arte tenentes, foede fallamur. Doctrinam scilicet aliquam per se tractamus, unice securi de puerorum iuvenumque indole ac vi scite alendâ atque firmandâ. Neque hoc saepissime facimus, ut re aliquâ nude et pure propositâ eiusque fine indicato discipulos ipsos ad eam animo suo excipiendam libereque formandam, tum ad viam, quâ metam assequi possint, inveniendam, excitemus, sed una cum re eandem, quam nos propriam habemus, formam incutimus, unde fit, ut memoriae tantum inhaereat, quod pectori et animo tradidisse falso putamus. Tota igitur nostra celebratissima methodus, ut libere dicam, eo consistit, ut discipulus sit quasi parva nostra imago docta, et corpusculum vel certe epitomen eius doctrinae plane habeat, quam nos forte docemus: ut sit mathematicus, parvulus quidem, tamen mathematicus, sic aeque historicus

— bota-

— botanicus — physicus — philologus — si Deo placet philosophus. *) Hoc quidem facimus opinione ducti, quasi *scientiae omniumque doctrinarum elementa* in Gymnasiis iam puerulis sint tradenda sensimque augenda, ut in doctrinam artemque crescant, quam falsissimam opinionem omnium caeterorum errorum atque miseriarium matrem esse existimo. Unum enim et totum negotium Gymnasiorum hoc esse contendo, quod ipsum iam nomen indicat, ut animi mentisque facultates omnibus modis ab omni parte excitentur et exerceantur. Quare tota ratio ita erit invertenda, ut dicamus: Gymnasiis minime scientiae et doctrinae excolendae et augendae negotium datum est, neque hoc ab iis contendendum, ut doctrinae, pueris iuvenibusque obiectae, parasiticarum plantarum vel lichenum more, his invitis inhaereant et male crescant, sed hoc unum volunt gymnasia, ut *discipulorum facultates probe exercitae crescant*, ut quondam hi ipsi doctrinam sibi parare apti fiant. Quum vero prior illa ratio certam sedem in plurimis Gymnasiis adhuc habeat, facile apparet, in religione quoque docenda ita agi, ut, quum ex veterum Theologorum definitione — quam rectam equidem habeo — tres fidei sint partes, *cognitio*, *assensus*, *fiducia*, unam tantum, *cognitionem*, scholis assignandam magistri censeant, reliquas duas sponte prodituras frustra sperantes. Jam vero ipsam hanc cognitionem de Deo et de officiis hominum, quam illi scilicet *religionem universam* complecti putant, philosophico quodam fuco suo exornatam multisque et pulcris verbis definitam puerorum rimatis quidem auribus tradunt, neque vero inde fiduciam studiumque excitare, voluntatem vitamque temperare, mores formare unquam valent. Nam quae Bb. Ss. loca memoriae tradere discipuli iubentur, nisi forte vi quadam divina paucorum animos afficiunt, per se nil iuvant. Sed de his, quae formam docendi attingunt, hactenus: nunc videamus de ipsa re.

---

§. 2.

De scientia et fide.

Ut igitur Gymnasiorum finis sit, quem nunc paene omnes statuunt, *doctrina rerumque cognitio s. scientia* (die Wissenschaft) quod vocabulum gloriose iactant magistri docti; quem, quaeso, habes *fontem*, unde hauris hanc tuam scientiam aliisque tradis? Tune dicis: ipsa scientia est fons, unde ego, scientiae compos, hausta discipulis impertio? At

*) Unde haud infacete quidam dixit, videri sibi magistros ovum parere velle in ultimâ classe, ex quo sedulo incubando tandem in tertiâ fere nascatur pullus, qui bene nutritus pennisque sensim instructus e primâ denique classe expertis alis universitatem litterarum, tanquam coelum, petat. Sic quoque fieri, ut Icaros plurimos habeamus, Daedalos paucissimos.

At invitis necdum intelligentibus? — „Mox intelligent, inquis; nam scientiae elementa hominibus divinitus sunt insita, quae fovere magistri est.“ Quae vero tu doces sapientia, num *tua* est *propria*, an *universa* quaedam *omnium hominum*, quam tu ipse aut *totam* et *perfectam* tenes, aut cuius tu tantum partem aliquam habes? Nam si est universa omnibusque communis (quam e. c. *Kantius* somniavit), eâdem vi et veritate omnium quorumcunque animos occupet necesse est, et neque falsi aliquid neque dubii neque a reliquis hominum prudentium et philosophorum sententiis diversi inesse debet. Sin *tua*, haud parum arrogans profecto mihi videris, qui aut tuam singularem et propriam, aut partem illam ex universà tibi concessam, unice veram habes eique fidem praestare alios cogis, quod sane omnia tyrannorum atrocissima facinora longe superat. Tu vero dicis, *formam* quidem esse *tuam*, *rem* vero *aeternam* et *divinam:* te *rem* solam tradere velle, *formam* liberam cuique pro ingenio suo et arte sibi effingendam relinquere. Ipsam autem rem esse *divinam*, intus in pectore insitam. — Verba iactas magnifica — inania — lippis tonsoribusque nunc quidem tritissima. Quis enim est, obsecro, ille spiritus quasi prometheus, qui *statuam* tuam, e materia et forma conflatam, vivam facit? estne proprius tuus, *humanus*, cui fidem praestari et divinum honorem tribui tu vis? Brevi dicam: si philosophia tua summo Deo vero non cedit, irreligiosus superstitiosusque et ipse es, et alios reddere tentas. Depone igitur terrorem istum et tremorem febriculosum, quem a philosophia critica falso incussum, iam ipsa vocabula *fides* et *dogma* tibi excitant, et accuratius iam perspice quae sit sapientia humana. *Philosophiam* enim *perfectam* sive τὸ *scire per se* equidem nihil esse dixerim, nisi *materiem universi ingenii humani*, *cuius forma universalis est tota vita generis humani* s. *historia*, quae utraeque partes, nisi inter se artissime coniunctae, nil proficiunt. *Ambarum autem coniunctio* fit *spiritu humano*, qui in omnibus rebus et excogitandis et agendis duplicis generis est. Nam si terrestria tantum et temporaria et sibi soli utilia unice spectat, Daemon erit perniciosus, qui summa vi et impetu omnia secum trahit, qualem nuperrime vidimus Napoleontem; sin res terrestres per totam vitam subiicit divinis, *verus Deus erit humani generis* (θεάνθρωπος), quem nos quidem *unum* tantum in universa omnium seculorum aetate cognovimus *Jesum Christum*. Nam praeclarissimis optimisque cuiusvis aevi populive hominibus, qui summâ laude *humanà* digni sunt, quum multis locis eos errasse et peccasse speciemque humanam pro divinis captasse constet, divinus sane honor ullo modo tribui nec potest nec debet. Quam diu igitur *unus* ille est Jesus Christus, in quo divinae intelligentiae formam humanam ita coniunctam habemus, ut *spiritu* tantum *divino* hoc effici potuisse recte dicamus,

divinus honor eidem Jesu profecto erit tribuendus, quippe qui Dei veri cognitionem hominibus aperuerit. Nam *Deum per se* cognoscere velle quum homini datum non sit, haud minus vesani est, quam philosophiam per se habere aut velle aut iam possidere opinari. Est enim *Deus* per *se ab hominibus cogitatus*, (τὸ θεῖον καθ' αὑτὸν) nihil nisi *materia* seu mavis *idea**), cuius innumeris, haud raro sibi repugnantibus, attributis studiosissime enumeratis et sagacissime definitis, universâque rerum naturâ totiusque mundi miraculis vel demonstratis vel admirationi hominum propositis, nil tamen efficies nisi aut horrorem et terrorem quendam, aut levem curiosamque admirationem. Quo sane fit, ut omnes philosophos, de *Deo solo* summo studio cogitantes, aut ad Idealismi *Kantiani* inanitatem, aut ad Egoismi *Fichtiani* pestem, aut ad *Spinozae Schellingii*que Materialismum perduci videamus, quae omnia, quidquid philosophi dicunt et mire se torquent omnesque lapides movent, ne Atheistarum nomine notentur, tamen, si sibi constent sapientissimi viri, neque, ut *Kantius*, vir haud minus probus quam sagax, in hac una re inconstantiae veniam sibi petant, Atheismum perfectissimum nominare nullus dubito. (vid. qui de his rebus uberius disputat, *F. H. Jacobi* in optimo libello: von den göttlichen Dingen und ihrer Offenbarung. Lpzig 1811, coll. ambiguâ *Schellingii* defensione „Denkmal der Schrift Jacobi's von den göttl. Dingen. Tübingen 1812.) — Jam si unam *Deo* addis voculam „*pater*" habes materiae illius formam quandam, quae, quum certam et necessariam rationem Dei et ipsorum hominum constituat, non solâ cogitatione versatur, sed toto animo nostro residet. Hanc formam non invenit solum Jes. Chr., sed ab omni parte firmatam hominibus tradidit (Joan. 14., 2, 6. et totum caput), quam ob rem ipse per se *forma divina* (imago patris, Ebr. 1, 3. Joan. 10, 30. 14, 9.) dicendus est; nec non, quum in hâc unâ re vera Dei cognitio hominibus aperta sit, *veritas* κατ' ἐξοχήν. (Joan. 14, 6.) Attamen ne sic quidem aliud quidquam habemus, quam *materiem per se* et *formam per se*, quae utraeque nisi inter se arcte coniunguntur nil efficiunt. In hac autem coniunctione cernitur hominis libertas ac vis. Fit enim ea coniunctio, ut modo diximus de philosophiâ et historiâ, quarum prorsus eadem ratio est, *spiritu*, qui si res mun-

*) Falsissimum est, quod vulgo dicunt, materiae et ideae eandem esse rationem, quae corporis et animi. Idea enim nihil est nisi ingenii humani materies. Plurimi quidem, relicto veterum philosophorum verbi „materies" (ὕλη) usu, materiem dicere id consuerunt, quod corporeum et spectabile est. Illa, quam ego dixi, idea s. materia, si artis forma caret, aeque rudis et inanis est, ac materies corporea. Utriusque autem, materiei ac formae, coniunctionem equidem dico rem veram ac vivam, (τὸ ὄντως ὄν. Barbare: reale, realitas.)

mundanas aeternis et divinis subiicere omniaque ex Jesu exemplo ad Dei laudem referre studet, *sanctus spiritus* et *divinus*, sin minus, est Daemon, qui omnia turbat. At vero hic spiritus divinus non innatus est nobis, ut, quasi divinâ naturâ induti, illam coniunctionem propriâ nostrâ vi perficere possemus — quod philosophi de se praedicant. — Homini enim haec una facultas est concessa Deum quaerendi: haec ipsa est eius *humanitas;* at non hoc ei est praebitum, ut Deum ipsum iam secum ferat in pectore. Jam eo loco sumus, quo oritur in hominis animo *fides*, quae quum speret fore, ut divina ope assequatur, quae per se nancisci non possit, huic opi digne accipiendae se paratam praebet et ornat. (v. Jes. 1, 16. 1. Cor. 3, 16—23. 6, 19. 2. Cor. 7, 1. 1. Joan. 3, 3. et inumera loca.) Haec igitur divina vis, quae formam cum materia (Deum et Jes. Chr.) recte coniungit, est *spiritus sanctus*, qui, quum neque ad Deum *solum*, utpote materiam, neque ad Jesum Chr. *solum*, utpote formam, pertineat, a *patre* exit (πορεύεται), a filio nobis inditur (πέμψεται) (Joan. 15, 26.,) quod alio loco est: ὁ πατὴρ πέμπει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ. (Joan. 14, 26.) Unde accidit, ut primi Jesu discipuli, ante divini magistri oculos versantes eiusque exemplo utentes, minime tamen eâ vi per se instructi essent, quâ regnum Jesu iam suis opibus condere possent (Jo. 14, 7—9. Act. 1, 4—8.), sed *spiritus divinus* eos ad veritatem (Deum) duxit per Jesum Chr. (Joan. 16, 13.)

Haec, quae diximus, brevi sic colligamus: ut forma sine materia esse non potest et quasi eius filia est, sic Jesus est Dei filius. Sed ut forma a materiâ *diversa*, neque vero *sine* eâ vel est vel cogitari potest, sic Jesus a Deo patre *diversus*, sed *sine* eo esse non potest. Utriusque autem coniunctionem et perceptionem in hominis animo efficit *Spiritus sanctus.* Errat igitur, qui *materiam* s. *ideam solam per se* i. e. *Deum* bene ab homine percipi posse opinetur, et Materialista s. Idealista, brevi Atheista fiat, *si sibi constet*, necesse est; sin minus, philosophus non est habendus; neque minus errat, qui *formam solam per se* i. e. *Jesum Christum* tenet, quod qui facit aut *mysticus* fiet, aut *fanaticus, aut caerimoniarum et superstitionum sectator*, quod veterum populorum olim fuit, *ecclesiae romanae etiam nunc est.* Quare unum superest homine dignum, materiam cum forma ita coniungere, ut ipse Jesus Chr., inter homines vivens et spiritu sancto impletus, (Matth. 3, 16, 17. Marc. 1, 10—12. Luc. 3, 22. Joan. 1, 32—34.), exemplo suo nos docuit. Quod qui appetit, et ipse Spiritus sancti dona divinâ gratiâ se accepturum speret: is enim est vere Christianus. Haec de Spiritu sancto doctrina biblica tantum abest, ut liberum hominis arbitrium auferat eiusque sapiens consilium coerceat, ut vel unice veram animi vim et libertatem eo confirmari

 posse

posse existimem. Hoc autem ipsum velle ecclesiam nostram evangelicam, quisque, qui eius mentem satis imbibit, certo scit. Id igitur, tamquam rei fastigium omnibus precibus pio animo a Deo O. M. petendum, ut Sanctum Spiritum illum evangelicum omnibus hominibus per Jesum Chr. benigne mittat, quo ad veram virtutem et humanitatem unice nos perduci posse speremus. Nil enim ab homine excogitari posse mihi videtur, quod duo illa fortissimi et sanctissimi viri, D. Lutheri, carmina superet: Nun bitten wir den heiligen Geist um den rechten Glauben allermeist, et: Komm Gott Schöpfer, heilger Geist. — Sic circa vetus illud symbolum apostolicum de *Deo patre*, de *filio eius Jesu Christo* et *de Spiritu sancto*, religionis christianae et verae ecclesiae evangelicae cardinem versari, ultra omnem dubitationem esse equidem censeo, tantumque absum, ut hanc de *Trinitate* doctrinam minus gravem neque primariam cum *Schleiermachero* (vid. eius doctiss. et sagaciss. viri Dogmatic. §. 187.), habeam, ut *sine eà nihilum esse totam religionem nostram contendam.**) Quae quum ita sint, sequitur inde necessario: omnium doctorum magistrorumque fontem, ex quo sapientiam et veritatem hauriant aliisque impertiant, minime esse *scientiam per se* — nam haec tantum est *materia* universi ingenii humani — neque *cogitandi vim*, quae est illius *materiae*, inter singulos homines varie distributae, *pars aliqua*, — neque *doctrinam aliquam*, cui singuli incumbunt; haec enim est *forma* eius cogitandi facultatis. Adeo si habeamus doctrinam aliquam, pone mathematicam vel eloquentiam, quam universam omnibusque hominibus communem dicere possimus, tamen ne is verus et genuinus cognitionis et intelligentiae humanae fons sit, duplex vetat causa: primum enim eius forma in singulis hominibus maxime diversa est; deinde in ipsis his hominibus, ne eis quidem, qui optime eam tenent, certa et aeterna esse neque potest neque debet haec forma, sed mutatur. Adde quod in omnibus doctrinis, quae vel optimo magistri studio et consilio discipulis traduntur, quum singulae quasi formae tantum sint magistrorum docentium, usus internus et, ut ita dicam, *vitalis*, nusquam fere apparet, neque illa, quam dixi, materiae et formae coniunctio nasci potest: unde fit, ut aut materiae mole pueros obrui, aut formae vinculis eorum ingenia foede coerceri videas, et vel hebetes vel non attentos effrenosque habeas discipulos,

omnino

*) Huic doctrinae quum omnia Bb. Ss. dicta consentiunt, tum vero apprime favet locus ille, quem omnium partium sectatores fidenter et gloriose venditant, Joan. 4, 24. Christus enim dicit: πνεῦμα (i. e. Idea) ὁ θεὸς, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι (i. e. divino spiritu adiuti) καὶ ἀληθείᾳ (i. e. me iuvante, qui ipsa veritas sum. coll. Joan. 14. 6) δεῖ προσκυνεῖν.

omnino autem tales, qui, quum formas a magistris suis tanti aestimari videant, imitandi cupidine capti, iisdem formis, sibi minus aptis, avide ac speciose arreptis, et se et alios, mox vero etiam totam civitatem male decipiant. Quod tristissimum malum multi quidem rei scholasticae scriptores sic optime vitari posse existimarunt, ut omnes quascunque doctrinas in gymnasiis docendas esse statuerent, ex quibus singuli discipuli suam propriam pro ingenii et indolis varietate sibi eligerent. Hoc scilicet erat incendium oleo extinguere. Quaeramus igitur aliam rem, quae, *omnibus* hominibus vere divinitus insita omniaque illa diversa consilia complectens, materiem cum forma optime coniungat, tum vero, quod nulla omnino doctrina et scientia humana unquam potest, et mentem et pectus omnium discipulorum ita occupet, ut et verum cognoscant et rectum libenter faciant, quae denique ut intelligentiae verus et perennis fons, sic voluntatis certa et sapientissima moderatrix sit habenda. Est autem ea res *certa fides* in Deum et *ab omni parte confirmata*; non sane quidem ista fides, quam philosophi et theologi nostri putant esse interni cuiusdam sensus et motuum animi rem, quam *rationi mentique* humanae subiectam esse, non vero eam constituere deceat. Nobis enim *fides* est *conditio totius vitae vere humanae*, est *animi totiusque mentis vis primaria* (essentia), *imo una*, ut si animum esse omnium, quae in homine versantur et agitantur, causam primariam recte dicas, fides sit eius animi universa vis et efficacia, quae omnes hominis vires facultatesque ita gignit et moderatur et complectitur, ut Deus mundum, ut alter sine alterâ neque esse neque a nobis cogitari possit: atque ut Deum ipsum verbis definire frustra tentabis, sic neque fidem definies; est nim *τὸ ὄν humanum*, quod hominem supra terram elatum ad divinum numen extollit. A fide incipit conscientia sui, quam infans habet, cum fide homo diem supremum obit. Fides divina est, quae omnes tenet humanas societates tam publicas quam privatas: eâ neglectâ laxantur omnia vincula, vel, ut his temporibus, philosophorum ope confisis, foede rumpuntur. Ab hac enim summâ et primariâ hominis facultate universa salus generis humani, et publica et privata ita pendet, ut ex neglectâ vel falso cultâ fide horrenda flagitia, omnis generis insanias, tristissimas superstitiones, miserrimas denique universarum civitatum ruinas fieri, ex pie probeque servatâ nobilissima facinora, summam felicitatem, omnem denique virtutem nasci omnia cuiusvis populi tempora doceant. Quare maximi interest, hanc fidem divinam iam in puerorum animis ex mente evangelica — quam unam veram esse supra demonstravimus — ita firmare et moderari et exercere, ut ab omni cogitatione et cognitione et actione disiungi ullo modo non possit, totaque doctrina et institutio scholastica unice id spectet eumque habeat exitum, ut discipulus penitus perspiciat, brutarum esse, sine religione et fide christianâ vitam

degere

degere velle, neque rerum humanarum veram cognitionem sine eâ religione firmiter servatâ esse posse, quia hoc sit, Deum ab humana mente et ratione separare, quo iterum brutam habeas. — Quae docendi via quomodo sit munienda nunc videamus.

---

§. 3.

De rerum docendarum ratione *ac methodo* in universum.

Quum et initium et finem institutionis equidem dicam, puerorum animis hoc incutere: *ut humana prorsus nihili sint sine divinis, sic neque divina quidquam esse, ubi ab humanis divellantur, hominemque Deo confisum s. cum Deo, omnia posse, sine Deo nihil recte posse* (Matth. 17, 20. Rom. 14, 20. Ebr. 11, 6. 1 Joh. 5, 4. et innumeris locis); sequitur inde, aliud scholarum et omnis institutionis consilium non dari, nisi hoc, ut pueri et cogitando et agendo ita exerceantur et confirmentur, ut ubivis ostendant, se plane et perfecte illam sententiam non solum animo tenere, sed etiam per totam vitam probare et posse et velle. Quod quidem grave consilium ne discipulus diutiore tempore extra scholae limites perdat, neque unquam in posterum eius obliviscatur, Gymnasiorum magistris sic tantum prohibere licet, si liberam inveniendi et effingendi viam discipulis ubivis aperiunt recteque, i. e. ex mente christiana, diiudicandi facultatem acuunt. Minime vero earum tantum rerum ope hoc faciendum, quas vulgo hodie *formales* vocant, maxime *mathematicam*, quibus nos, solâ formâ turpissime captos sanctoque spiritu (v. supra) carentes, nihil profecturos esse certissimum est; imo vel maxime rebus *historicis* utendum erit, maximeque eâ, quae vitam hominum et res gestas exhibet, historiâ populorum. Omne igitur boni magistri negotium sic definiri posse videtur, ut res qualescunque, a se consilio et arte electas, discipulis cognoscendas primum recte et plane una cum fine assequendo proponat, tum ad eas pro ingeniis suis et indole bene pulcreque formandas, donec metam propositam assecuti sint, excitet. Quum autem haec discipuli forma, quam ipse propria vi effinxit *spirituque suo* implevit, tamquam imago mentis eius sit, id *primum* spectabit magister in ea diiudicanda, uti et errores vitiaque in opere perfecto scite perlustret atque emendet, et ambagibus ac deviis abscissis breviorem et optimam viam ex ipsis discipuli speciminibus ostendat, *ita quidem, quod res est, ut in recto honestoque constituendo unus dux et iudex summus sit spiritus sanctus e Bb. Ss. dictis, cui quidquid repugnat falsum est.* Minime vero hoc agat magister, ut *suo spiritu* sapientiâque intempestive intruso discipuli spiritum turbet et affligat. *Deinde* curabit, ut res sic probe cognita, si bona pulcraque est, in ipsis discipuli coeptis

totâque

totâque vivendi ratione appareat et conspicua sit, sin inhonesta et turpis, sedulo declinetur. Quod si magister non satis certum discipuli iudicium atque ab omni parte firmatum cognoverit, eiusdem rei nova exempla iterum iterumque tractanda proponat. Denique omnes res propositae in ipsa schola ore tantum et verbis tractantur, tum quae inventae et emendatae satisque exstructae sunt, domi scriptim elaborantur, in quibus tamen omnibus haud minus pulcri quam recti et honesti ratio semper habenda erit, ut discipulus intelligat, pulcrum esse non posse, nisi quod Spiritui divino probetur.

Erit autem in omnibus rebus historicis (quibus religionem adnumero) sic proponendis triplex ratio habenda: prima ipsarum rerum exhibendarum, quarum altera alteram certo consilio et ordine (*minime tamen, certe apud puerulos, temporis serie*) excipiat, neque discipulorum captum excedat necesse est; secunda ratio est ipsarum animi facultatum, quae tunc separatim, tunc coniunctim exercendae, omnes vero ita acuendae sunt, ut primariae antecedant sequentibus; tertia denique est varii singulorum discipulorum ingenii et indolis. Quibus de rebus gravissimis et difficillimis nihil adhuc, quod equidem scio, a philosophis, ne iis quidem, qui de animo scripserunt (psychologis), accuratius disputatum est: hic vero eas memorare tantum licet.

Tota igitur institutionis scholasticae ars versari debet in duplici re: quarum *altera* est inventio, cuius prior pars data est praeceptori, ut res docendas cum consilio et arte deligat et alteram ex alterâ quasi natam coniungat, eo semper fine, qui assequendus sit, ante discipulorum oculos proposito; posterior pars est ipsius discipuli, rem datam tractantis finisque viam invenientis. *Altera* est rei a discipulo formatae diiudicatio, quod officium commune est et magistri monentis et discipuli emendantis.

Ipsae autem res docendae omnino duplicis generis sunt, quorum alterum sentiendi et intelligendi facultates nec non eam iudicii partem acuit, quae *hominum mentem* et *actiones* discernit; eius generis est *religio* cum *historia coniuncta;* alterum genus est, quod cognoscendi*) vim eamque iudicii partem, quae *rerum* et *actionum formas* diiudicat, moderatur et exercet, quae est *mathematica.* Utrisque communis est *lingua*, tanquam universum secum communicandi vinculum, ita tamen, ut sensu eminentiori prius genus attingat.

Talis

*) Longum est probare, cur falsam illam psychologorum nostrorum viam, qui intelligendi et cognoscendi vim eiusdem generis esse putant, reliquerim. Neque huius loci est, quae de *duplici iudicii genere* dixi fusius prosequi.

Talis profecto institutio, quum non mentem solam afficiat rerumque et verborum formis vel demulceat vel obruat, sed quum ea sit, quae omnes hominis vires facultatesque excitet, nec minus ad cognoscendum, intelligendum, iudicandum, quam ad agendum impellat, in omnibus actionibus nniversàque vità recte formandà non efficax esse non potest.

His omnibus, quae hoc capite disputavimus, collectis et inter se comparatis, apparet, totius institutionis et doctrinae humanae, quae Christianum piumque virum decet, finem hunc esse, ut homo ad perfectam *recte et honeste, pulcreque agendi libertatem Sancti Spiritus vi perducatur*, i. e. ut *Deo patri per Jesum Christum placere studeat.*

---

§. 4.

De rerum docendarum per singulas Gymnasii classes ratione et distributione.

Copiosissimae rei primas tantum lineas dare liceat.

I. Incipiamus ab ultima classe.

a. In *priore* institutionis genere (cf. §. antecd. in fin.), *religione*, res ipsa, quae pure simpliciterque puerulis proponitur est *homo eiusque facultates;* finis propositus est *Deus, pater.* Postulatur ut *viam invenias et constituas, qua ad Deum patrem pervenire possis.* Singulae res ex *tota vita hominum domesticà* et *scholasticà* depromuntur et Socratica methodo via paratur. Inventa discipulorum vel confirmantur vel improbantur Bb. Ss., in primis Jesu et Apostolorum dictis, quae memorià firmiter tenenda sunt. Adiunguntur historiae biblicae, maxime N. T., exempla.

b. In altero genere, *mathematice*, formarum simplicium numerorumque rationibus inveniendis satisque exercitandis adiunguntur *geographiae*, maxime patriae, initia, tum animalium, florum, lapidum, qui in domestica regione sunt, cognitio vere naturalis i. e. ita instituta, ut ipsae res oculis offerantur, flores lapidesque in viis colligantur.

c. *Linguae vernaculae* recte pulcreque formandae facultas in hoc ultimo scholae ordine non arte grammatica, sed loquendi scribendique diligentissimo usu paratur. A linguae latinae, seu, ut recte dicam, vocabulorum latinorum cruciatu hanc classem liberatam velim. —

Diei 6 horas scholasticas ita distribuendas censeo, ut religioni 2, mathesi 2, linguae ac legendi scribendique exercitationi 2 assignes; diebus Mercur. et Saturn. religioni 2, unam mathesi, ultimam linguae.

II. De-

II. Decimo vel 11mo aetatis anno fere peracto, discipulus quintae classis easdem discit res, sed pro facultate suâ auctas. In religione enim vitae socialis et civilis nonnulla ratio habetur, quum ex hac classe multi scholâ relictâ vitam civilem petant. S. S. primaria capita leguntur et *explicantur a discipulis, adiuvante praeceptore.* Nec non historiae, maxime patriae, apta exempla biblicis adiungenda, non eo, quo nonnulli scholastici volunt, temporis ordine, sed quo omnes fere homines in vita utuntur, morali, ut fert occasio et usus. Modus Deum patrem inveniendi ubique ex Jesu Christi norma et arbitrio aestimetur, ut discipulus aliam viam aeque rectam esse non posse*) probe intelligat. In mathesi nunc incipit scripta et practica ratio. Geographiae paullo amplior cognitio, patriae accurata, cuius tabulae delineantur. Historiae naturalis continuatio; rerum naturalium similitudines et varietates inveniat discipulus. — Temporis eadem quae ante distributio; sed in lingua vernacula cum arte quadam tractanda adiuvamur *lingua latina*, cui 6 horae per hebdomadem sint destinatae, vernaculae 4.

Artem litteras pingendi (calligraphiam) in iis Gymnasiis, qui singulari ad hanc rem praeceptore gaudent, unâ vel duabus per hebdomadem horis extra illud tempus discant 3 inferiorum classium discipuli. At ipsam pingendi artem nil moror. Hac enim ut supersedere possimus facit Mathesis recte tractata. Unus scilicet rei usus omnibus communis hic est, ut oculi manusque in linearum formarumque proportione exerceantur, quod, nisi mathematica demonstratione, recte fieri nequit. At vero *canendi ars*, cuius hic est usus communis, ut aures acuantur, rhythmorum varietates sensibus et animo percipiantur, tum vocis tenor et suavitas formetur, quam denique artem christianam κατ᾽ ἐξοχήν dixerim, singulari eoque peritissimo cantus magistro inde a 6ta classe, privatis 3 horis sollerter docenda erit.

III. Se-

---

*) Ne quis me curiae Romanae de una ecclesia salvifica arrogantiam affectare putet! non enim loquor de una ratione modoque in eâdem viâ christianâ progrediendi, quo mihi ipse repugnarem, quum singulos discipulos quasi semitas itineris ipsos invenire iubeam. At vero ipsum iter ad libitum sibi fingere veto. Nam homo aut veri rectique, quod bene cognovit, sibi conscius est, ut ei oppugnare agendo non possit, neque tamen damnet, qui alio modo eandem viam sequi se posse putant, aut incerti et levis iudicii est, unde his temporibus in fide rebusque divinis languiditas ista et segnities, quae tolerantiae nomen temere iactat.

III. Sequitur quarta classis, in qua idem habes argumentum eundemque finem religiosae institutionis. Sed tota ratio, quâ res singulae pueris nunc proponuntur, paullo diversa est, ut is ordo et modus, quem in infimis classibus unus magister insciis discipulis servabat, iam omnibus appareat. Tum quoque plenior est et rerum expositio et exemplorum enarratio et elaboratio scripta. Bb. Ss. pars historica cum psalmis legenda 2 horis; totidem historia patria accuratius narratur; temporis series notatur, quae scilicet matheseos ope a discipulis facile cognoscitur. De hac doctrina, mathesin dico, quum huius loci non sit singula accuratius definire, hoc unum addam: in geographiâ totius orbis formam et partes plene exhibeat, patriam terram eiusque res naturales accuratissime describat; quibus rebus e toto 12 lectionum numero 6 horae tribuendae sunt, 6 mathematicae propriae restant. At quum in tanta, quae inferioribus classibus praecessit, inventionis et explicationis exercitatione atque usu, facilitas quaedam et habilitas cogitandi necessario orta sit, 12 illis horis ad religionem cum historia destinatis 4 detrahimus, quarum 3 linguae latinae adduntur, ita tamen, ut post dimidium annum *linguae graecae* cedant. — Vernaculae linguae 3 horae.

IV. In tertia classe eâdem viâ christianâ per totius vitae, et publicae et privatae, conditiones et rationes ordine et consilio incedit discipulus, resque inventas uberius scriptim prosequitur. Historiam populorum christianorum post Chr. n.*) per medium aevum usque ad nostra tempora 4 horis brevi narrabit magister, germanicam uberius. Ipsa religionis institutio cum lectione bibliorum — cuius dicta memoriae sedulo tradenda sunt — 3 horas occupat. In his omnibus, religionis cum vitâ tam civili quam domesticâ artissimus nexus explicetur. Hoc autem spectent omnia scripta a discipulis elaboranda, ut quaestiones sint de vitâ humanâ sensu christiano unice diiudicandâ et aestimandâ. Verumtamen semper erit cavendum, ne inania verba *moralia* iactet scribens, sed ingenium et mens christiana, quae *agendo* cognoscitur, omnia collustret.

Mathematica institutio in hac classe prorsus absolvenda mihi videtur, idque ex instituto et ratione *Pestalozzianâ*. Nam ita officio suo, quo cognoscendi vim acuat, satis perfunctam esse hanc doctrinam persuasum mihi habeo. Quod si ultra procedere et in alias partes evagari conatur, universae institutionis consilium misere turbat et *docta dis-*

ciplina

---

*) Haud recte, si quid video, historiae narratio a populis *antiquis ante Chr. n.* incipitur. Hoc enim mihi πρῶτον ψεῦδος videtur, historiam populi alicuius sine accuratiore religionis et inde factorum civilium et privatorum institutorum cognitione intelligere velle.

ciplina fit, quam Gymnasiorum limites excludere supra diximus. Institutioni autem formali, quam vocant, quem matheseos finem intelleximus, ita satisfaciendum esse in tertia classe, ut sive in superioribus classibus, sive in vitâ civili, quam discipulorum plurimi exinde petunt, nil desideretur. Quod probe sentire ipsos discipulos dicas, quorum longe maxime pars lectiones mathematicas superiorum classium invicto taedio abhorret;*) quare satis esse putant, ultimo scholae tempore rem studiosius exercere, nimirum ut examini futuro qualicunque modo satisfaciant, multo superiorum annorum tempore misere perdito. Quod quam perniciosum sit totius scholae consilio et disciplinae, quam cruciet et discipulos et ipsos magistros, nemo nescit. Nil igitur opus mihi videtur, nisi ut istas linearum formarumque et numerorum rationes in duabus superioribus classibus per unam hebdomadis horam sollerter repetas et exemplis ore scriptimque elaborandis exerceas. Eadem est ratio *physices* — nam de hac quoque, brevitatis causa, iam nunc dicam — cuius docte institutae vel maius est *omnium* discipulorum taedium, quippe qui bene sciant, eam disciplinam minoris momenti esse in examine futuro, mathematicâ. Nam quum physices leges et argumenta sine docto et penitiore matheseos studio, quod Gymnasiorum consilio et rationi contrariam est, mente percipi non possint, prorsus reiicienda mihi videtur, et sat erit physices eventus et experimenta, cuius singula phaenomena iam in 4 reliquis classibus, ut occasio fert, brevi narrata sunt, unâ hebdomadis horâ duabus superioribus class. demonstrare et pro captu iuvenum explicare; quod per 4 vel 5 annos recte et sollerter institutum sat superque abundat. Sed redeo ad tertiam classem.

Quum mathematica propriis 6 horis per 2 annos absolvi et debeat et possit, et geographiae totius terrae, cui adiungitur historia naturalis singularum terrarum, 4 horas tribuere sufficiat, habemus 15 horas reliquas, quarum 8 latinae linguae, 5 graecae, 2 vernaculae assignamus.

Sic anno aetatis fere 15 peracto, discipulus omnibus rebus, quae ad vitam recte pieque cum libertate agendam necessaria sunt, satis instructus inque societatem ecclesiae christianae

---

*) Hoc in nonnullis, paucissimis sane, Gymnasiis aliter se habere, haud ignoro, cuius tamen rei causam hanc scio, quod ibi magistri, Pestalozzii rationem et viam secuti, superioribus classibus id proponunt, quod equidem tertiae classi adsignari voluerim.

stianae rite receptus*), iam sui compos quodammodo erit, ut certum vitae consilium capere possit.

V. Jam ad ultimum gradum eumque a reliquis haud parum diversum pervenimus, quem superiorum duarum classium iuvenes tenent, de quibus coniunctim loqui tempus et locus iubet. Fidem christianam, quantum quidem eius ad vitam propriam iuvenum attinet, e doctrina et cognitione prius paratâ iam firmiter animis insidere statuimus. Restat unum, ut cognoscant, quid ab omnibus populis summisque hominibus, de quibus memoria relicta est, actum sit, ut salutem vel publicam vel suam qualicunque modo insignibus facinoribus, philosophia, doctrina, artibus, nanciscerentur, idque cum christianorum populorum actis comparare, denique utrumque consilio christiano diiudicare et aestimare incitentur, eoque ducantur, ut probe intelligant, unum esse omnium civitatum hominumque inter se vinculum a Deo datum, religionem et fidem divinam, quae, quum forma sua carere non possint, omnibus temporibus ab aliis populis aliter sint ornata; optimam tamen homineque dignissimam esse eam, qua nos gaudemus, evangelicam, quam igitur pro virili sustinere et observare ratio et animus nos ducat. Hoc vero eorum potissimum esse officium et munus, qui viri docti futuri, non solum theologi, sed omnino omnes, publicae vitae quasi habenas teneant et doctrina et exemplo.

Ad quam rem gravissimam recte perficiendam *primum* opus est, ut iuvenes hominis vires facultatesque iam accuratius perquirant, quod anthropologia et psychologia fit, non illa, quae doctis verbis et artis forma in litterarum universitate audientibus dictatur, sed quae eâ, quam supra diximus, viâ a iuvenibus invenitur et magistri consilio et arte adiuvante formatur; *tum* uberiorem totius historiae, tam antiquae quam recentioris, cognitionem habeant, cuius per singulos populos tanquam fundamentum est, quis fuerit religionis, doctrinae, artis status atque conditio, quid ad eas res vel sustinendas et augendas, vel debilitandas philosophi principesque fecerint. — Optime iuvabit hoc consilium nostrum scriptorum antiquorum, maxime historicorum et poetarum lectio.

Duae

---

*) Hoc enim prorsus necessarium censeo, ut aut vitam civilem appetere aut in secundam Gymnas. classem recipi possit puer. Nam si quis fortasse dicat, eiusmodi lege ingenia puerorum et facultates infringi et coerceri, sibi repugnat. Nulla enim est ingenii vis sine illa quam diximus religionis accurata intelligentia, in qua si discipulus — etsi puerulus, forte millesimus quisque — satis processerit, quis concionarius sacer tam hebes sit, quin eum, vel novenarium, in ecclesiam recipiat?

Duae igitur sunt res principales, in quibus iuvenes toti sint velim: *religio* cum *universâ historiâ**) *iuncta*, et *linguae*, quarum alteri 10 horas per hebdomadem tribuimus, 8 linguae graecae, 8 latinae, 4 vernaculae. Reliquarum duarum unam physices experimentis, ultimam mathematices repetitioni et exercitationi (v. suprà IV.) damus.

Num in religionis 10 horis communem ambarum classium institutionem esse posse existimem, quaeris? Potest, ubi 40 minor est numerus coniunctus, non potest, ubi excedit. In reliquis vero classibus coniunctionem locum non habere, per se patet. Minime quoque hanc Gymnasiorum institutionem privatis concionatorum sacrorum scholis religiosis interrumpendam esse, non est, quod pluribus demonstremus.

---

§. 5.

De religionis magistri persona.

Haec sunt, quae in lectionibus distribuendis et moderandis fieri velim. Nunc de ipso magistro religionem in Gymnasio docente duo verba addam. Theologum eum esse debere evangelicum, qui Bb. sac. eorumque interpretationem doctam penitus norit, qui facundus sit et comis, praeterea vel maxime vir pius omnibusque probatus, omnes facile concedunt. Hoc tamen adiungendum esse existimo: non iuvenis sit, qui litterarum universitate nuperrime relictâ, multorum doctorum commentorum molem indigestam secum ferens volutansque, neque homines neque vitam norit, sed vir gravis vitaeque usu peritus, tum philosophiâ et historiâ satis imbutus, quarum rerum accurata cognitio quum in examini publico vel a *iuvenibus* theologis rite postuletur, a *viro* sane me nil inauditum ineptumve humanasque vires superans petere scio.

Unum autem eiusmodi virum tantis laboribus e nostro consilio suscipiendis non parem esse, nemo non videt.

Habes

---

*) Credo equidem fore plerosque, qui putent, me sic omnia fere petentem et commiscentem, quae singulatim tractandae sint, populorum antiquitates, ritus et instituta, litteraturam, philosophiam, res bello paceque gestas, denique religionis christianae historiam, nihil profecturum. At ego quidem res nudas per se earumque multitudinem nil curo, quas *singulas* docte perquirere et e fontibus repetere pleneque cognoscere universitatis litterariae et docti studii est, Gymnasiorum non est: *unum* autem *vitae humanae fontem*, fidem religionemque aperiri rationeque et prudentiâ inde hauriri cupio.

Habes totius Gymnasii evangelici constitutionem qualemcunque meam, seu potius constitutionis epitomen, quae a totius fere populi desiderio orta, plurimorum, ne dicam omnium vota explere posse, neque certo firmoque consilio carere mihi quidem videtur. Unum enim hoc vult, ut *cognitio rerum humanarum cum fide divina necessitatis quodam vinculo sit coniuncta.* Quae tamen inventio mea quantis impedimentis et difficultatibus et ipsa laboret, quae nisi coniunctâ multorum virorum fortitudine et sapientiâ summoveri non possint, haud ego sane sum nescius. Nam — ut unum dicam — non mediocris profecto laboris est, eam quam proposui historiae docendae viam accurate per singulas partes delineare, maiusque hoc opus, quam quod paucorum annorum spatio ab uno homine vel diligentissimo et rei peritissimo absolvi possit. — Sin vero fortasse aliquis de consilii mei diuturnitate et de rerum multitudine longissimo tempore vix digerenda queratur, eum ad vetus illud praestantissimum proverbium remitto: *non multa, sed multum!*

Sect. II. De communi magistrorum ipsorum in religione evangelica sustinenda officio.

Ut illa, quam designavi, via a viris sagacissimis et rei maxime expertis, quorum examen enixissime rogo, certis argumentis improbetur, est tamen alia res, quam proponendam mihi nunc sumam, quam, quum ad magistros solos pertineat statimque iis volentibus facili modo perfici possit, iam eo plurimis probatam fore spero. Tria sunt quae posco: magistri inter se optime consentiant, singulique ubivis exhibeant exemplum vitae christianae, cuius apud discipulos adiumenta quaedam adhibeant. De singulis brevi.

§. 1.

De magistrorum inter se consensu christiano.

Quantumvis sint diversa singulorum magistrorum ingenia, studia, doctrina, philosophia, indoles, tamen, si gravissimi et molestissimi laboris sui aliquot fructus percipere volunt, necesse est conveniant inter se de modo ac ratione religionis christianae pueros docendae, et quem rectum cognoverint modum, eum constanter tenere, nec non in omnibus reliquis lectionibus et in tota vita observare, sanctissimâ iuramenti religione invicem se obligent. Hoc suum quasi symbolum et confessionem scriptis verbis concipiant, ut statuto quodam tempore recitari et novis collegis suis proponi possit. Hoc autem opus,

quum

quum reliqua duo, de quibus infra, capita quodammodo complectatur, omniaque fere singulorum magistrorum officia fungendi muneris describat, summo consilio et diligentiâ elaboratum et ab omnibus eiusdem collegii viris ratum habitum volo. Quae vero tempore, experientiâve et usu emendanda augendave videantur — nam curiae Romanae *infallibitatem* nusquam affectemus, neque constantiam in eo quaeramus, quod tenaces simus falsi vel minus boni consilii — emendationes, inquam, singulorum arbitrio et licentiae minime linquamus, sed universis omnium sententiis recte probatis ita attribuamus, ut, quae toto unius anni spatio singulis magistris notanda videantur, ea accurate descripta et a praeside in unum corpus collecta, certo tempore communi consilio examinentur omniumque consensu probata, statutis addantur. Ita demum fiet, ut absit invidia, perniciosissima res, absint simultates et diffidentia magistrorum inter se, absit inconstantia et intemperantia cum damnoso rerum in dies mutandarum studio, absint denique praecepta et sententiae singulorum magistrorum sibi invicem repugnantia, discipulis maxime exitiosa. Quanti denique sit momenti in munere tuo probe fungendo pro certo scire, te non externo fortuitoque vinculo cum collegis iunctum esse, sed interno et divino, quis est quin sentiat?

Porro: in universa disciplina scholastica summam legem omniumque institutorum fontem praebeant Bb. Ss., quod quidem indefessae operae his libris navandae officium omnibus magistris manifesto imponit.

Denique: nullius unquam discipuli dignitas et laus atque honor ex memoriâ et multarum rerum cognitione aestimetur, neque in altiorem classem translocetur, qui plurima vocabula graeca et latina scit verbaque facit, sed qui ingenii indolisque vi morumque integritate et pietate magistris probatur. Ne multa: non οἱ λόγοι, sed ὁ λόγος sit arbiter.

---

§. 2.

De singulorum magistrorum vita.

Difficilius est de eo loqui, quod magistro, christianam mentem non solum discipulis, sed omnibus civibus exhibituro, tam publice quam privatim sit faciendum, et fere piget. Dicam tamen, ne optimis pessimisque timuisse videar.

Est igitur *primum* omnis generis avaritia, non magis auri fortunarumque, quam vanae gloriae honorisque cupido, summo studio e pectore funditus evellenda, cui qui favet parum abest a Judaeorum mente, qui divitiis rebusque externis unice studentes, Jes. Christum etiamnum cruciant. Omnibus dictis actisque suis vir fortis piusque probet, se

non

non hominum laudem atque gloriam, sed unius Dei et Jesu Chr. affectare, nihil se profecisse putans, nisi avaritiam, omnium malorum radicem (Matth. 6, 19 seq. Marc. 9, 21. 1. Tim. 6, 10.), e pectore removerit. Quare caveat magister, ne gloriae laudisque studio ductus, nugas et quisquilias, elegantiorum scilicet nostri temporis hominum oblectamentum, vel scribere vel recitare, denique ore litterisve unquam a veritate et religione christiana cedere eamque temere offendere se abripi patiatur. — *Deinde:* qualem se praebet coram discipulis et in munere fungendo, talem se praebeat et domi et coram populo, ne inconstantiae et ambiguitatis atque simulationis opprobium ferat. Est enim impietatis quasi culmen simulatio. (Luc. 12, 1 et innumera ll.) *Postremo:* mollium voluptatum studium societatumque saepe inanissima gaudia se maxime dedecere persuadeat sibi magister. Non enim Epicureus ut sit, sed Christianus omni vi petat; neque id sibi arroget, quasi inter paucissimos illos sit, qui in vini epularumque indulgentia, in sermonum vel lascivia vel inanitate, in tanta ludorum qualiumcunque, in quibus de nummis argentoque certatur, cupiditate atque avaritia, integrum piumque animum servare possit. Ut tamen hoc sit, nonne indignum probo doctoque viro, vilissimis pessimisque rebus indulgere easque exemplo suo aliis minus fortibus commendare? Quod si quis forte dicat: „quis ego unus sum, in „tanta hominum voluntate, cui resistere velle et ridiculum et insolentis arrogantisque est;" — haec non modestiae et pudoris, sed cupidinis male dissimulate verba esse suspiceris.

---

§. 3.

Adminicula quaedam religionis a gymnasiorum magistris adhibenda.

Sunt denique nonnulla religionis auxilia, quae, recte in gymnasiis instituta, pietatem virtutemque haud parum iuvent; e quibus haec gravissima maximeque necessaria existimo.

1. Preces auspicatoriae cantusque sacri universo omnium magistorum, tum praesentium, omniumque discipulorum coetu, vel, ubi aedium pravitas aut exiguitas necessitatem imponit, singulis classibus habeantur. Hoc ubique fere in gymnasiis hodie fieri scio; ut aliter multis locis fiat, omnibus precibus opto. Nam de Deo in universum multa verba faciunt preces illae, de diligentia et studio propria vi excitando, de doctrina humana, tanquam summo mortalium bono, plurima habent, de Jesu Christo paucissima, de Spiritu sancto prorsus nulla. Tu mihi evolve, ne morosus tibi videar, precum scholasticarum specimina in publicum edita, evolve cantuum sacrorum libros recentiores: reperies universitatem quandam, quae et Judaeis et Muhametanis et Indis, denique omnibus se accomodare studet. — Neque minus displicet, has preces saepissime

sime non libero sermone haberi, sed e schedulis vel libris editis recitari. — Num discipulis, iuvenibus saltem, precum habendarum munus tradendum sit, dubitari possit. Quum vero in nullo populo filios iuvenesque praesente patre familias Deo sacra unquam fecisse reperiamus, quum etiam nunc in domestica religione patrem familias maxime dedeceat, si filiis hoc munus sacrum curandum det, quum denique multa, quae in discipulorum persona et conditione sita sunt, rem sanctissimam laedere possint; equidem censeo, a magistro, qui quasi pater familias habendus est, hoc omnino faciendum esse.

2. Sed est aliud religionis adiumentum, concionum sacrarum cum discipulis frequentatio. De die dominica recte et ex mente evangelica adhibenda ante omnia edoceantur discipuli, ne vel profanis laboribus et scholasticorum pensorum diligenti opera Deo placuisse falso existiment, vel nil faciendo voluptatibusque et recreationi destinatos esse sanctissimos dies opinentur. Imo summus illius diei *labor* est *divinus*, quo vires suas moresque ipsi studiosissime explorent et spiritum divinum cum toto Christianorum coetu digne recteque excipere studeant, ne se solos vel eum iam perfecte possidere vel inter pocula et ludicra aut in solitudine eo impleri posse inani conamine putent.

Nec parvae utilitatis esse duco conciones sacras coram ipsis discipulis, inprimis pueris, habendas (Schulpredigten), quae, quum duos saltem theologos inter Gymnasiorum magistros esse coniiciamus, haud multum negotii praebent. Sed non muliebris flebilisque esse debet oratio, quae mulierculis lacrimarum mollem brevemque voluptatem tantum excitet. Fortis enim sit Christianus et prudens, his maxime temporibus, (Matth. 10, 16.) isque quem S. Paullus vult. (Ephes. 6, 13—17.) Praeterea hoc consilio constituatur res, ut parentes, qui pueros suos comitari solent, intelligant, qualis sit Gymnasii mens christiana domesticamque vitam et disciplinam inde moderentur, tum ut discipuli percipiant, eundem esse puerorum senumque salutis fontem totamque vitam unâ tantum re servari posse, Dei patris et Jes. Chr. amore et observantiâ, quae sit divini Spiritus opus.

At fortasse aliquis dicat, quas commendamus conciones, eas multorum Gymnasiorum usu, maxime eorum, in quibus iuvenes educentur, tanquam inutiles, imo perniciosas, apparere. Summo enim et praeceptorum et discipulorum incommodo et taedio eas haberi, obsoletique instituti abrogationem quam maxime desiderari. — At hoc taedium ab ipsis praeceptoribus, rem indigne tractantibus, discipulis iniici suspicor. Quid enim? quod *unus* totius collegii, qui discipulos quietos servet, rei adesse paene invitus iubetur, reliqui magistri aut domi libris studiosissime incumbunt, quem optimum

 esse

esse Dei (*sui* scilicet vid: supra Cap. II. in fin.) cultum palam profiteri audent, aut spatiando se recreant aliisque voluptatibus et deliciis se dedunt, ut a molestissimis laboribus tandem respirent. — Alii certe erunt fructus iique optimi, ubi ipsi magistri cum bona voluntate pioque studio rem tuentur nihilque gravius esse et verbis et exemplo profitentur.

3. Tum sanctae coenae bis saltem per annum communio magistrorum cum iuvenibus animum christianum optime firmabit. Cui rei saepissime reniti parentes, qui filios secum ducere ad J. C. coenam velint, scio. Quid vero? nonne liceat, more antiquissimae Apostolorum ecclesiae saepius hoc beneficio divino uti? Optimum sane erit, si parentes eodem die quo magistri cum discipulis id faciant, ut unum dominum et servatorem, J. Chr., omnes libere profiteantur et scholae cum paterna domo artius fiat vinculum.

4. Postremo haud mediocre conducet futurae iuvenum vitae, eum diem, quo cuiusvis ordinis et aetatis discipuli e schola dimitti voluerint, sive semel hoc sit per annum sive bis, rite sancteque celebrare, non inanium ceremoniarum ineptiis, sed ita, ut coram omnibus magistris discipulisque eos adhorteris, quid didicerint, quid vitae humanae sit summa, tum ut pio animo se id servaturos esse verbis dextrâque data promittant. Tu, ne vel omnibus eiusdem rei repetitio semestris taedium paret, vel magistrum eo munere fungentem rerum pulcra aptaque mutatio moleste vexet, timere noli. In rebus sanctis haud impedit, imo iuvat, formulas sancitas, modo rei sint consentaneae aptaeque, per longum tempus integras servare. — Prae caeteris autem iuvenes, qui ad altiora studia prosequenda litterarum universitates petunt, consilio et prudentia ad hoc novum curriculum recte ineundum sunt praeparandi. Quod hucusque aut prorsus neglectum aut minus recte factum esse summe dolendum est. (v. quae de ea re disputat celeb. *A. H. Niemeier* in lib. sup. laud. (Zusätze) p. 121. §. 1. seq. (ed. 1808.)

§. 4. Conclusio.

Haec sunt, quae de religione in Gymnasiis evangel. instituendâ monenda duxi. Quae si nemini rei experto et prudenti pioque viro probanda videantur, me ipsum falsum esse coniiciam, sin paucis iisque optimis, sat habebo. Defendi enim his temporibus debere *veritatem* et *libertatem evangelicam* censeo a Jesuitarum sceleratâ turbâ insidiarumque astutiâ, a mysticorum impuritate et segnitie, denique a philosophorum imprudentiâ et arrogantiâ. Ad hoc pro virili efficiendum vos, magistri evangelici, hortor. Alea iacta est! Ne tardi simus, neque immemores, scholarum maxime culpâ falsâque doctrinâ ortas esse istas miserias, qualiaque fuerint semina puerorum iuvenumque animis iniecta, tales fuisse fructus. Vos auxilium ferte! quod nullis sacerdotum conciliis, nullis optimorum principum mandatis fieri potest, id vos liberi viri et fortes et docti Jesu Christi mente perficere apti estis. *Agite* concordi animo, qui si vere christianus est, Spiritus sanctus vos non deficiet, quo uno iuvante ecclesiam christianam servare poteritis.

Nostrum est, iuventutis integritatem, pietatem, virtutem nutrire et moderari, quod quin fiat inani rerum verborumque doctrina, sed efficaci et salutari cognitione vitaeque christianae sapienti [illegible]tione, nos curemus per Jesum Christum, Dominum nostrum!